[Bi 601.]

M. CHRISTOPHORI Schultz

COMPUTUS THEORICO-PRACTICUS,

facili ac succinctâ methodo
in COMPENDIUM redactus:
Qvondam ab Authore in Gymnasio Vratislaviensium
Mar. Magdalenæo Auditoribus suis propositus:
nunc,
in gratiam Juventutis studiosæ,
luci publicæ expositus,
&
Tabulis necesſariis instructus.

VRATISLAVIÆ,
Sumptibus Johannis Georgii Steck.
Impressum BREGÆ, *apud Christianum Jacobi.*

THEORICO-PHYSICAL
COMMENTARIUS
IN CHRISTOPHORI CLAVII

COMPENDII COMPUTI

LIBER I.

DE COMPUTO THEORICO.

CAPUT I.

DE HORA.

1. COMPUTUS est Scientia distingvendi Tempus.
2. *Tempus* denotat vel
   1. *Durationem* rei.
      1. absolutè spectatam.
      2. certâ mensurâ determinatam.
   2. *Mensuram Durationis* ipsam, à motu corporum cœlestium potissimùm petitam. Et hæc acceptio hujus loci propria est.
3. Dividitur *Computus* in *Theoricum* & *Practicum*.
4. *Computus Theoricus* expendit *partes* temporis tùm *Minores* tùm *Majores*.
5. *Partes* Temporis *minores* sunt, qvæ à motu communi seu primo Cœli oriuntur, & sunt *Hora*, *Dies* & *Septimana*.
6. *Hora* est pars diei aliqvota, certo graduum æqvatoris numero definita. Ejus observetur *Divisio* & *Reductio*.
7. *Divisio* est, qvâ *Hora* consideratur vel *Naturaliter* & *ratione Qvantitatis*, vel *Civiliter*, & *ratione Termini*.
8. *Naturaliter* Hora considerata dividitur in *æqvalem* & *inæqvalem*.

9. *Hora æqualis*, qvæ & *æqvidialis*, item *æqvinoctialis* appellari ſolet, eſt tempus, qvo naturalis dies, hoc eſt, Dies & Nox junctim ſumta, in partes viginti qvatuor æqvales diſpeſcitur: ſeu, qvo qvindecim Æqvatoris gradus motu primo ſupra Horizontem adſcendunt, vel Meridianum tranſeunt.

10. *Horæ æqualis* notentur *Partes* tùm *majores* tùm *minores*.

11. *Partes Horæ æqualis majores* dicuntur *Qvadrantes*, Virtel-Stunden/ qvorum ſingulis tres Æqvatoris gradus, cum qvadraginta qvinq; minutis reſpondent.

12. *Partes Horæ æqualis minores* vocantur *Minuta*, & ſunt vel *prima*, qvorum ſexaginta conficiunt unam Horam, vel *ſecunda*, qvorum ſexaginta conſtituunt unum minutum primum.

13. *Hora inæqualis*, qvæ aliàs & καιριακὴ ſive temporalis, item *Planetaria* dicitur, eſt ſpatium temporis, qvo dies vel nox artificialis, hoc eſt, Dies vel Nox disjunctim ſumta, in partes duodecim æqvales dividitur; ſeu, qvo plures paucioresve, qvàm qvindecim æqvatoris gradus Horizontem conſcendunt, vel Meridianum tranſeunt. Creſcunt enim Horæ inæqvales & decreſcunt cum ipſis Diebus. Ut, ſi Dies ſit longior nocte, horæ etiam diurnæ ſunt longiores nocturnis, & contra. De his intelligendum eſt illud Chriſti *Joh. 10. Nonne duodecim horæ ſunt diei.* Hujusmodi Horis inæqvalibus olim uſi ſunt Judæi, & tota fermè antiqvitas, ut & Hiſtoriæ & libri veterum Mathematicorum teſtantur. Unde *Casmannus Part. 2, Aſtrol. cap. 2.* monet: Qvicqvid de Horis legitur ante Annum Chriſti trecenteſimum in Hiſtoriis ſacris & profanis, id omne de hujusmodi Horis inæqvalibus intelligendum eſſe.

14. *Horæ inæqvales* Veteribus, præſertim Judæis, erant vel *Simplices* vel *Compoſitæ*, & hæ iterum vel *Majores* vel *Minores*.

15. *Majores* erant *Qvadrantes Diei* artificialis, è qvibus primus dicebatur *Hora tertia*, ſecundus *ſexta*, tertius *nona*, qvartus *duodecima* ſeu *Veſpera*, ita nempe, ut Qvadrans qvilibet nomen ſortiretur ab horâ ultima ſimplici.

16. *Minores* ſingulæ continebant duas Horas ſimplices: qvarum ratio, ut & cum noſtris horis tempore Æqvinoctii collatio, patet ex adjuncto Schemate.

Horæ compositæ maj.			3			6			9			12
Horæ simplices	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.
Horæ comp. minor.			1		2		3		4		5	6
Horæ æqvin. nostræ	7.	8.	9.	10.	11.	12.	1.	2.	3.	4.	5.	6.

His observatis, *Marcus* Evangelista conciliari potest cum *Johanne*. Ille *cap. 15. v. 25.* Christum crucifixum esse scribit horâ tertiâ: hic horâ sextâ *cap. 19. v. 14.* Nimirum *Marcus* loqvitur de Horis compositis minoribus, *Johannes* de Horis simplicibus. *Vide tamen & Harmoniam VValteri hâc de re.*

17. *Civiliter* & *ratione Termini* Horæ consideratæ numerantur vel *à Meridiano* vel *ab Horizonte.*

18. *A Meridie* incipiunt numerare Horas suas *Astronomi* pleriqve; sed nonnulli, ut *Copernicus*, etiam *à mediâ nocte.*

19. *A mediâ nocte* inchoant suas horas numerare plerique; *Germani*, id qvod etiam faciebant *Romani veteres.*

20. *Ab Ortu* numerarunt Horas suas *Babylonii*, & hodie *Norimbergenses.*

21. *Ab Occasu* numerant Horas suas *Itali* & *Judæi.*

22. *Reductio Horarum* est, qvâ *horæ nostrates usuales æqvales* convertuntur in *alienas*, easq; vel *inæqvales* vel *æqvales*: & vicissim *alienæ* in *nostrates.*

23. *Horæ nostræ æqvales* in *inæqvales* convertuntur ita:

1. Cognita habeatur ex libro aliqvo Sphærico vel Calendario Qvantitas Diei artificialis propositi.
2. Qvantitas hæc Diei dividatur per duodecim horas æqvales, & Qvotiens exhibebit qvantitatem horæ unius inæqvalis.
3. Habitâ Qvantitate unius horæ inæqvalis, facilè reduci possunt Horæ æqvales in inæqvales & contra.

EXEMPLA.

Qvantitas Diei 22. Augusti hic Vratislaviæ est Horarum qvatuordecim ipsarum, qvæ divisa per duodecim, exhibent qvantitatem unius horæ inæqvalis 1. Hor. 10. min. prim. seu 70. minutorum primorum. Jam

1. Si qværatur, qvot Horis inæqvalibus correſpondeant ſeptem Horæ æqvales. Dico per Regulam De Tri.

H		Hor. inæqv.		H.
1.	10	1		7
60				60
70				420

420 | 6 Horæ inæqv.
70 |

2. Si qværatur contra, qvot Horis æqvalibus ſeu vulgaribus correſpondeant Horæ qvatuor inæqvales, eodem Die 22. Aug. Dicatur iterum per Regulam De Tri.

Hor. inæq.	Hor. æqv.		Hor. inæqv.
	H		
1	1 10		4
	70		
	4	4	
	280	280	4. Hor. 40.
	280	60	

24. *Horæ noſtræ uſuales æqvales* reducuntur in æqvales alias, easq; vel *Aſtronomicas*, vel *Babylonicas* vel *Italicas*.

25. In *Aſtronomicas* ſeu Horas à Meridie convertuntur ita:

1. Si dentur horæ noſtrates poſt meridiem, non opus habent reductione, qvia cum Aſtronomicis conveniunt.

2. Si dentur horæ ante meridiem, ſubtrahatur à Die propoſitâ unitas, & horis datis horæ duodecim addantur, & reductæ erunt in Aſtronomicas.

EXEMPLA.

1. Diei 22. Aug. Hora qvinta poſt Meridiem civilis, eſt etiam Hora qvinta Aſtronomica ejusdem Diei.

2. Diei ejusdem 22. Aug. Hora octava antemeridiana civilis eſt 20. Hora Diei 21. Aug. Aſtronomica.

Aug. Dies	22	Hor.	8 *antemer.*
ſubtr.	1		12 *add.*
Dies	21	Hor.	20 Aſtron.

Si

Si contra Horæ aſtronomicæ ſint convertendæ in noſtrates, procede it a.

1. Si numerus horarum Aſtronomicarum non excedat 12. erunt ipſæ horæ datæ etiam noſtrates, ſed pomeridianæ.
2. Si numerus horarum Aſtronomicarum fuerit major 12. tunc ſubtrahendæ ſunt ab horis datis 12. horæ, & Dies propoſita unitate augenda eſt.

EXEMPLA.

1. Hora Diei 22. Aug. ſeptima Aſtronomica eſt etiam ſeptima ejusdem Diei uſualis, ſed pomeridiana: qvia 7. horæ ſunt minus qvàm 12.
2. Hora Diei 22. Aug. decima nona Aſtronomica eſt ſeptima uſualis Diei 23. Auguſti antemeridiana: qvia 12. ſubtracta à 19. relinqvunt 7. & pro Die 22. eſt ponendus 23.

26. In *Babylonicas*, ſeu horas ab Ortu, convertuntur horæ noſtræ ita:

1. Cognita habeatur è libro aliqvo Sphærico vel Calendario, Hora Ortus Solis.
2. Sit Hora data numerata à mediâ nocte, vel ſi pomeridiana, addantur 12.
3. Subtrahatur hora Ortûs, & habebitur hora ab ortu numerata. Qvod ſi ſubtractio fieri neqvit, addantur Horis datis 24. Horæ, id eſt, integer Dies.

EXEMPLA.

1. Die 27. Aug. Sol oritur horâ 5. 9′, qværitur qvotæ horæ Babylonicæ reſpondeat hora noſtra octava mat. ? Subtrahe tempus ortus, 5. Hor. 9′, ab horis 8. remanent horæ duæ 51′. à Solis ortu numerandæ.

	H	
Hora mat. data	8	
Tempus ortus	5	9′
Remanent	2	51′

2. Qværatur, qvotæ horæ Babylonicæ eodem die 27. Aug. reſpondeat ſexta noſtra pomeridiana. Adde hic ad 6. horas 12. fiunt 18. à qvibus Tempus ortûs Hor. 5. 9′. ſubtractum, relinqvit decimam tertiam horam Babylonicam qvæſitam.

Hora

	H	
Hora pom. data	6	
Adde	12	
Fiunt	18	
Tempus ortus ſub.	5	9′
Hora	12	51′ *Babyl. quæſita.*

Si contra horæ Babylonicæ in noſtrates convertendæ ſint; tunc fiat ita: Horæ Babylonicæ datæ adde Tempus ortus, & aggregatum exhibebit horam vulgarem correſpondentem.

1. Antemeridianam, ſi illud aut 12. Horis minus, aut 24. horis, qvæ abjiciendæ ſunt, exiſtat majus.
2. Pomeridianam, ſi 24. Horis minus, aut 12. Horis, qvæ abjiciendæ ſunt, exiſtat majus.

EXEMPLA.

1. Qværitur, qvæ Hora vulgaris Diei 27. Auguſti reſpondeat Horæ Babylonicæ 2 51′? Adde Tempus ortus 5. Hor. 9′ & Aggregatum exhibet horam 8. matutinam.

	H	′
Hora Babylonica data	2	51
Tempus Ortus	5	9
Aggregatum	H Hor. 8 *matut.*	

2. Qværitur, qvæ hora vulgaris ejusdem Diei, reſpondeat Horæ Babylonicæ 12. 51′. Adde Tempus ortus Hor. 5 9′, & aggregatum fit 18. à qvo abjice 12. remanet Hor. 6. pomeridiana.

	H	′
Hora Babylonica data	12	5
Tempus Ortus add.	5	9
Aggregatum	18	
Subtrahe	12	

Remanet Hora 6. *pomer.*

27. In

27. In *Italicas* ſeu *Horas ab Occaſu* horæ noſtræ convertuntur hâc ratione. Subtrahe Horam Occaſus, qvæ Calendario aliqvo cognoſcenda, ab Horâ datâ noſtrâ

1. Pomeridianâ, qvæ ſi minor fuerit, qvàm ut ſubtractio inde fieri poſſit, addantur prius 24. horæ, ſive integer dies.
2. Antemeridianâ, ita tamen, ut prius in Pomeridianam, per additionem 12. horarum convertatur; & relictum ſiſtet Horam Italicam, ſive Horam ab Occaſu qvæſitam.

EXEMPLA.

1. Qværitur, qvæ Hora Italica 27. Die Auguſti reſpondeat noſtræ tertiæ Pomeridianæ? Sol hoc die occidit Horâ 6 51′, qvæ à 3. Hor. ſubtrahi neqvit: adde ergò prius 24. horas, fiunt 27. Horæ: à qvibus Horæ Occaſus ſubductæ, relinqvunt horam Italicam 20 9′. qvæſitam.

Hora pom. data	3
Adde	24
Aggregatum	27
Tempus Occaſus	6 51′ *ſub.*

Hora Italica Hor. 20 9′ qvæſita.

2. Qværitur, qvæ Horâ Italica eodem 27. Auguſti reſpondeat noſtræ octavæ antemeridianæ? Adde hîc, cum hora antemeridiana detur, 12. fiunt 20: àqvibus Tempus Occaſus ſubtractum, ſiſtit Horam Italicam 13.

Hora antemeridiana data	8
Adde	12
Fiunt	20
Tempus Occaſus ſubtr.	6 51′

Hora Italica qvæſita 13 9′

Si contra Horæ Italicæ ad noſtrates reducendæ ſint, operare ita: Ad Horam Italicam Datam adde Tempus Occaſus, & ſi Aggregatum fuerit integro Die

1. Majus, ſubtrahe 24. horas, & reſiduum oſtendet Horam noſtram pomeridianam.

2. Minus, & qvidem horis 12.
   1. Minus, erit illud ipsum hora nostra vulgaris pomeridiana.
   2. Majus, subtrahe 12. horas, & residuum indicabit Horam nostram antemeridianam.

EXEMPLA.

1. Qværitur, qvæ hora nostra vulgaris 27. Aug. respondeat Italicæ 20 9'? Adde Tempus Occasus 6. Hor. 51', fiunt 27: ab his abjice 24. remanet 3. hora nostra pomeridiana.

	H	
Hora Italica data	20	9'
Tempus Occasus	6	51 *add.*
Aggregatum	27	
Abjice	24	
Hora nostra	3 *pomer. qvæsita.*	

2. Qværitur, qvæ Hora vulgaris ejusdem diei 27. Aug. respondeat Horæ Italicæ 13 9'? Adde Tempus Occasus, fiunt 20. Horæ: à qvibus subtrahe 12. relinqvitur hora octava antemeridiana nostra.

Hora Italica data	13	9
Tempus occasus	6	51 *add.*
Aggregatum	20	
Subtrahe	12	
Relinqvitur Hora	8 *antemer. nostrr.*	

CAPUT II.
DE DIE.

28. Fuit *Hora*: *Dies* est Tempus, certo horarum numero definitum, atq; ad conversionem Primi Mobilis, & Motum Solis æstimatum.
29. Estq; *Dies* alius *Naturalis*, alius *Artificialis*.

30. *Dies*

30. *Dies Artificialis* eſt intervallum temporis, qvo Sol ſuper Horizonte commoratur, ſic dictus, qvod accommodatus eſt ad exercendas artes, ſive liberales ſive mechanicas: & hujus privatio eſt *Nox*, qvæ eſt Tempus, qvo infra Horizontem Sol movetur.

31. *Dies Artificialis* eſt vel *æqvalis* vel *inæqvalis*.

32. *Dies artificialis æqvalis* eſt horarum 12. qvalis in universâ terrâ eſt tempore æqvinoctiorum.

33. *Dies artificialis inæqvalis* eſt vel *plurium*, vel *pauciorum* qvàm duodecim *horarum*.

34. *Dies artificialis plurium* qvàm duodecim *horarum*, ſunt illi, qvi Æqvinoctio Verno & Autumnali interjecti ſunt: inter hos ille eſt longisſimus, qvem Sol in puncto Solſtitiali æſtivo exiſtens, ſuo motu efficit.

35. *Dies artificialis pauciorum* qvàm duodecim *horarum* ſunt illi, qvi ab Æqvinoctio Autumnali ad Æqvinoctium vernum numerantur; inter hos ille eſt breviſsimus, qvi à Sole in puncto Solſtitiali hyberno, ſeu principio Capricorni exiſtente, efformatur.

36. *Dies Naturalis* eſt ſpatium temporis, qvo Sol motu primo circumactus, totum orbem ſemel ſuâ luce colluſtrat, & continet horas 24. & Diem pariter atq; noctem comprehendit. Dicitur Naturalis, qvod Natura conſociaverit hæc tempora, ut veſpera & mane ſit unus Dies, ut Scriptura loqvitur.

Accuratiſsimè loqvendo, Dies naturalis qvatuor circiter Horæ minutis major viginti qvatuor horis eſt, propterea qvod, dum communi motu integer Æqvator contra ſeriem ſignorum revolvitur, Sol interea motu proprio proreptet ſecundum ſignorum ſeriem uno qvaſi gradu, adeo ut, cum pridianus Ecliptica gradus ad Meridianum revolutus eſt, Sol adhuc integro circiter gradu à Meridiano diſtet, qvi dum advolvitur Meridiano, abeunt qvaſi qvatuor horæ minuta. Et hæc particula Æqvatoris, huic temporis particulæ roſpondens, appellatur ab Aſtronomis additamentum Solis.

37. *Diei Naturalis* obſerventur *Partes* & *Diſtinctio*.

38. *Partes Diei Naturalis* erant olim Romanis vel *Diurnæ* vel *Nocturnæ*.

39. *Partes Diurnæ* potiſsimum erant

1. *Diluculum*, ſive Crepuſculum matutinum, qvod eſt tempus ante lucem, cum Dies incipit dignoſci, wenn es beginnet zu tagen.

2. *Mane*, sive Aurora, weil die Morgen-Röthe währet.
3. *Ad Meridiem*, qvod est tempus inter mane & meridiem.
4. *Meridies*, qvod est medium Diei artificialis, wenn die Sonne durch den Meridianum gehet.
5. De *Meridie*, qvod est tempus inter meridiem & supremam Diem.
6. *Suprema* Dies sive Vespera, qvod est tempus ultimum Diei, qvo Sol occidit.

40. Partes *nocturnæ* erant,
1. *Crepusculum vespertinum*, sive prima fax, qvia tunc faces sive lumina accenduntur.
2. *Concubium*, qvod est tempus, qvo exantlatis laboribus, cubitum imus, & curas diurnas, ut ille dicebat, indusio involvimus, manè eas resumturi.
3. *Nox intempesta*, qvia nulli operi id temporis accommodatum est, & est tempus ad mediam noctem.
4. *Media Nox*, qvæ opponitur Meridiei.
5. *Gallicinium*, qvo Galli, qvos *Cicero Lib. 2. de Divin.* vocat vigiles nocturnos, primùm canunt.
6. *Conticinium*, qvod est tempus Auroræ proximum, qvo omnia conticescunt, & gratior est quies.

41. Distinctio Diei *Naturalis* est, qvâ alius dicitur *Astronomicus*, alius *Politicus* seu *Civilis*.

42. Dies *Astronomicus* est intervallum temporis à Meridie in Meridiem, vel à mediâ nocte in mediam noctem.

Astronomi Diem *à Meridiano potius, qvàm ab Horizonte auspicantur propterea, qvod Meridianus ubiq; locorum se habet ut* Horizon *rectus: Horizon autem in qvâlibet Sphæræ obliqvitate variatur. Qvin etiam ubi Poli elevatio excedit 66½. gradus, impossibile est auspicari Diem ab Horizonte, cum ibi Sol interdum multis Diebus Horizontem non attingat.*

43. Dies *Politicus*, qvi & *Civilis* dicitur & *usualis*, est spatium *νυχθημερινὸν*, ab aliqvâ circuli utriusvis immobilis medietate, diversis Populis diversâ, numeratum: differens ab Astronomico partim Qvantitatis *ἀκριβείᾳ*, partim termino.

44. *Diei Politici* considerentur *Termini* & *Species*.

45. *Termini*, à qvibus diei Politici seu Civilis fit initium, qvi aliàs *cardines* seu *κέντρα* Diei dicuntur, sunt qvatuor, *Ortus* & *Occasus*, *Meridies* & *Media Nox*.

46. Ab

46. Ab *Ortu Solis* auſpicabantur olim Dies ſuos *Chaldæi & Babylonii.*
47. Ab *Occaſu Solis* exordiebantur diem *Athenienſes & Judæi*, & hodie *Itali.*
48. *A Meridie* inchoabant Diem *Vmbri*, populus in Italia.
49. *A mediâ Nocte Romani* incipiebant, qvos adhuc pleriq; *Europæi* ſeqvuntur.
50. De Terminorum horum apud diverſos populos varietate hi notentur verſiculi:

Atticus Occaſum ſpectat: Babylonius Ortum:
Nox media Auſoniis: Media at Lux perplacet Vmbris.
Vel,
Græci mane Diem capiebant Solis ab Ortu:
Veſpere Judæi; dum Phœbus culminat, Vmbri;
Chriſticolæ incipiunt mediæ ſub tempore noctis.

Græcis, notante VVeigclio in Spec. Temp. p. 8. annumerari poſſunt Babylonii, & pleriq; Populi Orientales. & adhuc hodiè Diem ab Ortu Solis ordiuntur Incolæ Inſularum Balearid. & Norimbergenſes. Judæis adjungendi veniunt veteres Athenienſes; & haut ita pridem Bohemi, Poloni, Sileſii, Auſtriaci, & jam nunc Sinenſes atq; imprimis Itali. Vmbris veteribus in Italiâ, veteres Arabes, & maxima pars Aſtronomorum annumerari poteſt. Chriſtianis demum, Ægyptii, veteres Romani, ut jam ſupra notavimus, & pauci aliqui Aſtronomi, ut Copernicus, &c.

51. *Species Diei Politici* ſunt variæ, è qvibus præcipuæ ſunt hæ: qvod alius ſit *Feſtus*, alius *Profeſtus.*
52. *Dies Feſtus* eſt vel *Veteris* vel *Novi Teſtamenti.*
53. *Feſta Veteris Teſtamenti* ſunt, qvæ apud Judæos in uſu fuerunt, & fuerunt vel *Divinitus* vel *Humanitus* inſtituta.
54. *Feſta Judæorum divinitus inſtituta* fuerunt decem, è qvibus qvatuor fuerunt *Principalia*, reliqva ſex *minus principalia.*
55. *Principalia* fuerunt:
    1. *Sabbatum hebdomadarium*, ſive Dies ſeptima cujusq; hebdomadæ, qvâ Jehova poſt opus creationis, ſex diebus completum, qvievit, qvaq; Populo penitus interdictum erat qvovis labore, ſervili & externo. *Exod. 16. v. 12.*
    2. *Paſcha*, qvod per ſeptem continuos dies celebrabatur in memoriam mirandæ liberationis è durâ ſervitute Ægyptiacâ. *Exod. 12. Lev. 23.*

3. *Pente-*

3. *Pentecoſte*, qvod poſt ſeptimam hebdomadam à Paſchate celebratum fuit, ut legitur *Exod. 34. v. 22.*

4. *Feſtum Tabernaculorum*, qvo per ſeptem dies degebatur extra domos in Tabernaculis, in memoriam peregrinationis in deſerto. *Deut. 16.* Et hæc tria poſteriora Feſta fuerunt anniverſaria, ad qvæ tota Judæorum Natio ad Urbem ſanctam confluere debuit ex ordinatione DEI. *Exod. 23.*

56. *Minus principalia* fuerunt,

1. *Sabbatum Septenne* ſeu *Sabbatum Terræ*, qvo Terra inculta relinqvebatur, & inde prognata Pauperibus cedebant. *Exod. 23.*

2. *Sabbatum ſeptem ſabbatorum ſeptennium*, ſive *Annus Jubilæus*, qvi erat Annus qvisq; à primo poſt Sabbaticum Annum Jubilæum numeratus, qvadrageſimus nonus. Eo anno non ſolum omnia debita relaxabantur, atq; adeò venditi Agri, Vineta, aliæq; poſſeſſiones ad ſuos priores poſſeſſores redibant; verùm etiam Servi Iſraelitæ à ſuis Dominis liberi demittebantur. *Levit. 25.*

3. *Neomenia* ſive *Novilunium*, qvi eſt primus cujusq; Menſis Dies, qvem à novâ Lunâ auſpicabantur, in qvo, ut præcipitur *Numeror. 28. v. 11. & ſeqq.* ſacrificia celebrabant & convivia agitabant.

4. *Feſtum Tubarum*, ſive *Buccinarum*, ſeu *Clangoris*, qvo Tubis clangebant in gratiarum actionem pro Hoſtibus divino auxilio debellatis. *Levit. 23. v. 24.*

5. *Feſtum Expiationis*, ſeu Propitiationis, qvo annuâ ſolennitate ſacrificium propitiatorium univerſale pro omnibus totius populi Peccatis celebrabatur, *Levit. 16.*

6. *Feſtum Retentionis* ſeu *Collectionis*, ſic dictum, ſive qvia colligebantur vectigalia & cenſus in Miniſterii ſacri & pauperum uſum, ſive, qvia Populus adunatus in Templum ibat, & DEO gratias agebat, anteqvam in Domos ſuas redirent: eratq; qvaſi Appendix Feſti Tabernaculorum. *Levit. 23. v. 34. ſeqq.*

57. *Feſta Judæorum humanitus inſtituta* fuerunt *qvatuor Jejunia*, & *Duæ ſolemnitates.*

58. *Jejunia* fuerunt hæc:

1. Obſeſſionis Hieroſolymitanæ.
2. Occupationis Hieroſolymitanæ.

3. Deſo-

3. Desolatæ Urbis.
4. Jejunium Gedaliæ *4. Reg. 25. v. 25.* per insidiam ab Ismaele qvodam è Semine Regio nato, interfecti.

His qvatuor Jejuniis postea accesserunt *Jejunium solemne* Estheræ, Esther 4. v 16. *Jejunium fractarum* Tabularum legis.

59. *Solennitates* verò fuerunt:
1. *Festum Encœniorum* sive Dedicationis, consecrationis & Renovationis Templi à Judâ Maccabæo institutum, *1. Macc. 1. v. 57.*
2. *Festum Expiationis arcis* Hierosolymitanæ, institutum per Simonem Asmonæum, *1. Macc. 13. v. 51.* ut Judæis in mentem revocaret, Arcis Hierosolymitanæ ab Antiochi Præsidio liberationem & repurgationem.

Hisce annumerantur *Dies Purim* sive sortium, *Lib. Esther 9. v. 21.* & *Festum* ξυλοφορίας seu comportationis Lignorum, cujus meminit *Josephus Lib. 2. de Bell. Jud. c. 17.*

60. *Festa Novi Testamenti* sive Festa Christianorum dividuntur vel *ratione Causæ* vel *ratione Temporis.*

61. *Festa Christianorum ratione causæ* sunt vel *Apostolica*, ut *Dies Dominica*, de cujus Autore, Institutione & fine *vide Brochmanni Systema Theol. Tomi II. Cap. 9. sect. 5.* vel sunt *Ecclesiastica*, ut *Festum Nativitatis, Circumcisionis, Purificationis* & similia.

62. *Festa Christianorum ratione temporis* sunt vel *Fixa* vel *Mobilia.*

63. *Festa fixa* seu *immobilia* sunt, qvæ certos Mensium Dies tenent, celebranturq; qvædam hic apud nos in

Januario.

1.	Festum Circumcisionis Christi	1. Jan.
2.	Epiphaniorum seu trium Regum	6. Jan.
3.	Conversionis Pauli	25. Jan.

Februario.

4.	Purificationis Mariæ	2. Febr.
5.	Matthiæ Apostoli	24. Febr.

Idq; *tantùm in Anno vulgari, sed in Bisextili 25. Februarii celebratur: qvia in Bisextili Dies 24. Februarii est Dies intercalaris & tantùm*

tum acceſsorius: qvi licet etiam Matthiæ nomen ſortiatur, tamen Feſtum non variat, juxta verſiculum:

Matth. Matth. dicatur, ſed Feſtum non variatur.

Martio.

6. Annunciationis Mariæ — 25. Martii.

& ſi incurrat in Septimanam Paſsionis, aut in Ferias Paſchales, celebrari conſvevit ipſâ Die Palmarum.

Aprili.

In Aprili nullum occurrit, qvod apud Nos in noſtris Eccleſiis celebrari ſoleat.

Majo.

7. Philippi & Jacobi Apoſtolorum — 1. Maji.

Junio.

8. Johannis Baptiſtæ — 24. Junii.
9. Petri & Pauli Apoſtolorum — 29. Junii.

Julio.

10. Viſitationis Mariæ — 2. Julii.
11. Mariæ Magdalenæ — 22. Julii.
12. Jacobi majoris — 25. Julii.

Auguſto.

13. Bartholomæi *A*poſtoli — 24. Aug.
14. Decollationis Johannis — 29. Aug.

Septembri.

15. Matthæi *A*poſtoli — 21. Sept.
16. Michaelis Archangeli — 29. Sept.

Octobri.

17. Simonis & Judæ *A*poſtolorum — 28. Octob.

No-

NOVEMBRI.

18.	Andreæ Apoſtoli	30. Nov.

DECEMBRI.

19.	Thomæ Apoſtoli	21. Dec.
20.	Nativitatis Chriſti	25. Dec.
21.	Stephani Protomartyris	26. Dec.
22.	Johannis Evangeliſtæ	27. Dec.

64. *Feſta mobilia* ſunt, qvæ in aliis annis in alios Menſium Julianorum Dies incidunt, etiamſi Hebdomadis Diem conſtanter retineant: ut ſunt omnes Dies *Dominicæ*, & *Paſcha*, qvod Radix eſt & fundamentum, à qvo reliqva Feſta mobilia omnia ante retrove numerantur, de qvibus infra agetur.

65. *Dies Profeſtus* eſt, qvo Vitæ humanæ utiles ac neceſsarias artes exercere licet, Germanis ein Werckel-Tag/ ceu ſunt reliqvi per Annum omnes, niſi interdum Magiſtratus Chriſtianus, ob cauſam evidentem, Diem aliqvem aliàs profeſtum ſolenniter celebrandum ſubdditis ſuis mandet.

CAPUT III.

DE SEPTIMANA.

66. Hactenus de *Die*: ſeqvitur de *Septimanâ*, qvæ Græcis ἑβδομάς dicitur, & nihil eſt aliud, qvàm ſpatium Temporis, Periodum ſeptem Dierum complectens.

67. Ejus notentur *Initia* & *Nomenclatura*.

68. *Initia Septimanæ* apud diverſos Populos ſunt diverſa. Judæis Dies ſeqvens Sabbatum eſt primus. Nobis Chriſtianis eſt Dies Dominicus. Turcis Dies Veneris.

69. *Nomenclatura Dierum* Septimanæ etiam variat. Judæi appellarunt eas, Sabbatorum primam, ſecundam, tertiam, qvartam, qvintam, ſextam, (qvæ & Dies paraſceves dicta fuit, & Sabbatum propriè dictum, qvi erat ultimus Septimanæ Dies.

70. Christiani Diem Dominicum vocant Feriam primam, & seqventes ordine feriam secundam, tertiam, qvartam, qvintam, sextam, septimam: idq. efficit, *Hieronymo* teste, Festum paschæ, qvod per totam septimanam olim solenne habebatur, qvod cum incipiat à Die Solis, is Dies feria prima appellatus est, Dies Lunæ feria secunda, & sic deinceps.

71. *A*strologi â Planetis Dies Septimanæ denominant, eorundemq; notis insigniunt, qvæ sunt ☉, ☽, ♂, ☿, ♃, ♀, ♄. In qvorum serie observatur Harmonia, qvæ dicitur Διὰ τεσσάρων: ut si scribas ordine septem Planetas, & v. g. initium facias à Sole, indeq; numeres 24. qvot sunt horæ diei naturalis, pervenies in hâc serie ad Lunam, qvæ distat â Sole Διὰ τεσσάρων: A ☽ pervenies ad ♂, qvæ â Lunâ distat intervallo qvaternarii. *Vide Subjectum Latercullum, ut & Schema seqvens.*

☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.
8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.
15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.
22.	23.	24.	1.	2. &c.		

CAPUT IV.

DE MENSE.

72. Fuerunt ſic *partes temporis minores*, qvæ à motu Cœli primo oriuntur; ſeqvuntur nunc *majores*, qvæ dependent à motu ſecundo, & ſunt *Menſis* & *Annus*.

73. *Menſis* eſt ſpatium temporis plus minus qvatuor ſeptimanarum: eſtq́; vel *Naturalis* vel *Politicus*.

74. *Menſis Naturalis*, qvi & Aſtronomicus dicitur, eſt vel *Solaris* vel *Lunaris*.

75. *Menſis Solaris* eſt ſpatium Temporis, qvo Sol ſignum aliqvod Zodiaci percurrit. Eſtq́; vel *Æqvalis* vel *Inæqvalis*.

76. *Menſis Solaris æqvalis* ſeu medius eſt, qvi qvoad Qvantitatem ſibi ſemper eſt ſimilis, & conſtat Diebus triginta, horis decem, & minutis triginta. Nam ſi qvautitas Anni Juliani 365. D. & 6. Hor. dividitur per 12. prodeunt 30. D. 10. H. 30. Min.

77. *Menſis Solaris inæqvalis* ſeu verus eſt, cui certum & determinatum tempus aſsignari non poteſt, propter Solis inæqvalem motum, qvi in Signis Auſtralibus ♎, ♏, ♐, ♑, ♒, ♓ eſt velocior; in ſeptentrionalibus ♈, ♉, ♊, ♋, ♌, ♍ eſt tardior.

78. *Menſis Lunaris* eſt ſpatium temporis, qvod à motu Lunæ proprio determinatur. Eſtq́; triplex, *Periodicus*, *Synodicus* & *Illuminationis*.

79. *Menſis Lunaris Periodicus*, qui & Converſionis, Peregrinationis & Peragrationis dicitur, eſt ſpatium temporis, qvo Luna redit ad idem Zodiaci punctum; continet Dies 27. Horas 8. ferè.

80. *Menſis Lunaris Synodicus*, qvi aliàs & Conſecutionis, & Conjunctionis appellatur, eſt ſpatium temporis, qvo Luna â Conjunctione Solis digreſsa, redit ad Conjunctionem ejusdem. Ut ſi facta eſſet Conjunctio in Ariete, Luna rediens ad Arietem, ibi non invenit Solem, qvi interea progreſsus eſt, progreditur ergo Luna ulterius; donec eum aſseqvitur. Conſtat Diebus 29. Horis 12. & minutis 44. ferè. Et dum ejusmodi Menſis Lunaris abſolvitur, Luna qvinq́; Phaſes aſsumit, ut ſunt: *1. Novilunium*, *2. Luna Falcata*, *3. Dimidia*, *4. Gibboſa*, & *5. Plena*.

81. *Menſis Lunaris Illuminationis* ſeu apparitionis, eſt ſpatium temporis, â primo conſpectu Lunæ novæ usq́; ad primum ſeu novum con-

ſpectum alterius Lunæ. Et hoc tempus vulgò exiſtimant complecti 28. Dies: ſed æqvale perpetuò non eſt. Luna enim interdum mox primo conjunctionis Die, interdum ſecundo, interdum tertio, interdum qvarto demum die conſpicitur.

82. *Cauſa* hujus *inæqvalis* apparitionis eſt triplex. Prima eſt *Obliqvitas Zodiaci*, qvæ efficit, ut ſigna qvædam, adeoq; & Luna in illis commorans, rectè & tardius, qvædam obliqvè & velocius oriantur. Secunda eſt *Latitudo Lunæ*. Tertia *Inæqvalitas motûs Lunæ*. Si enim Luna 1. in Medietate aſcendente, hoc eſt, in ſignis Aſcenſionum brevium, ♈ ♒ ♐ ♑ ♉ ♊ fuerit, 2. Latitudinem habuerit Septentrionalem, 3. velox motu extiterit, adeoq; tres velocitatis cauſæ concurrerint, mox eodem Die vetus & nova Luna apparet, ſin duæ dictarum Cauſarum concurrerint, ſecundo poſt conjunctionem die conſpicitur; ſin una tantùm cauſa, tertio Die. Contrarium ſi fiat, die qvarto â conjunctione demum in conſpectum prodit.

83. *Menſis Politicus* ſeu *Civilis*, eſt certus dierum numerus, qvo unaqvæq; Gens, duodenam ferè Anni partem, ſuo qvodam inſtituto obſervat. Eſtq; vel *Nominatus* vel *Innominatus*.

84. *Nominatus Menſis* eſt, qvi certo, pro cujusq; Gentis Lingvâ, inſignitur Nomine. Ejus conſideranda ſunt, *Appellatio*, *Ordo* & *Partitio*.

85. *Appellationem* qvod attinet, *Romanis* primus Menſis dicitur JANUARIUS, â Jano, antiqvo Latinorum Rege, qvem bifrontem pingunt, eò qvod hic Menſis præcedentis Anni finem & ſeqventis initium reſpiciat. Ebræis dictus fuit שְׁבָט *Schebhat*, *a* שֵׁבֶט *Virga Sceptrum*, Græcis γαμηλιὼν à Nuptiis, qvæ hoc tempore commodè inſtituuntur. Germani, ex Latino vocant eum den Jenner. Dies habet 31.

86. *Secundus* Menſis dicitur FEBRUARIUS, â Februis, id eſt, expiationibus, qvod tùm Februa, hoc eſt, ſacrificia pro mortuis fiebant. Februum enim expiationem ſignificat, ut ſcribit *Plutarchus*, & *Ovidius 2. Faſtorum* inqvit:

Februa Romani dixere piacula Patres.

Ebræis dictus fuit אֲדָר *Adar*, Græcis ἐλαφηβολιὼν, qvod hoc menſe cervi cornua abjicere ſoleant. Unde & Germanis vocatur

der

der Hornung/ nonnullis der Reb-Monat/ Vitium Menſis, qvod Vites hoc menſe putentur. Dies in *Anno* communi habet 28. at in Anno Biſextili 29.

87. *Tertius* Menſis vocatur MARTIUS, & veteribus Romanis ante Julium Cæſarem primus fuit Anni Lunaris. Accepit nomen ſuum â Marte, qvi Romuli, Urbis Romæ conditoris, Parens fuiſse credebatur. Ebræis dicitur נִיסָן *Niſan*, vel *Abib*. Græcis Μυνιχιὼν à Munichiis Dianæ Feriis, qvæ hoc Menſe celebrabantur. Germanis dicitur der Mertz; Dies habet 31.

88. *Qvartus* Menſis eſt APRILIS, ab aperiendo dictus, qvia hoc menſe terræ pori aperiuntur, & omnis generis germina eliciuntur. Vel, ut nonnulli volunt, ἀπὸ τῆς ἀΦροδίτης, â Venere, qvæ è ſpuma Maris nata fingitur, qvod Romulus primum menſem â patre ſuo, Marte, ſecundum â Venere, Matre Æneæ, nominandum putarit. Ebræis appellatur אִיָּר *Ijar*, Græcis ταργηλιὼν, à Dianæ & Apollinis ſacris, qvæ hoc menſe fiebant, & θαργήλια ſeu θαργηλία dicebantur. Germanis dicitur etiam der April/ item der Oſter-Monat/ qvod Paſcha plerumq; hunc in Menſem incidere ſoleat. Dies habet 30.

89. *Qvintus* Menſis appellatur MAJUS, à Majoribus ſeu Senioribus, qvi Rempublicam conſilio tuebantur, qvibus maximum à Diis honorem tribuendum Romulus cenſuerit, id qvod *Ovidius in Faſtis* comprobat, canens:

Hinc ſua Majores tribuére vocabula Majo.

Alii tamen volunt, Majum dici à Majâ, Matre Mercurii, cui Menſis hic ſacer fuerit. Hoc Menſe Romani non contrahebant Matrimonia, qvod teſtatur *Ovidius*, cum inqvit:

Menſe malum Majo nubere vulgus ait.

Rationem reddit *Plutarchus* in Problematis Romanis *Probl.* 29. & 84. qvi videatur. Ebræis dicitur סִיוָן *Sivan*, Græcis σκυρροφοριὼν, qvaſi tumorem & duritiem ferens rebus naſcentibus. Germanis der May/ Carolo Magno der Wonne-Monat. Nam, omnia tunc florent, tunc formoſiſsimus Annus. Dies habet 31.

90. *Sextus* Menſis dicitur JUNIUS. â Junioribus, qvi Rempublicam Armis tuebantur, qvibus proximum à Majoribus deberi honorem Romani cenſuerunt. Hinc Ovidius in Faſtis:

Junius à Juvenum nomine dictus adeſt.

vel à Junone, qvasi Junonius, vel à Junio Bruto, qvi primus Romæ Consul fuit. Ebræis vocatur תַּמּוּז *Tamuz*, Græcis ἑκατομβαιὼν, ab Hecatombis, hoc est sacrificiis centenariis, qvibus centum boves, vel similes majores bestiæ mactabantur. Germanis der Brach-Monat/ ab *A*ratione seu scissione Agrorum, item der Weide-Monat/ à pascuis, qvæ præbet pecudi. Dies habet 30.

91. *Septimus* Mensis dicitur JULIUS. Hic tempore Romuli dicebatur Qvintilis, qvi in anni ordinatione à Romulo factâ, qvintum locum tenebat: sed postea, in honorem Julii Cæsaris, Julius est appellatus, qvod ad qvartum Idus istius Mensis Julius esset natus. Ebræis vocatur אב *Ab*, Græcis μεταγειτνιὼν à Metageitniis *A*pollinis sacris, Germanis der Heu-Monat. Dies habet 31.

92. *Octavus* Mensis dicitur AUGUSTUS, antea Sextilis dictus, qvod sextus esset à Martio. postea in honorem *A*ugusti Cæsaris Augustus appellatus est, tùm qvod in isto Mense primum Consulatum iniisset, tùm qvod tres triumphos in eundem intulisset, tùm qvod hoc Mense Ægyptus in Populi Romani potestatem ab eo redacta esset. Ebræis vocatur אֱלוּל *Elul*, Græcis βοηδρομιὼν à Boedromiis sacris, in honorem Jovis *A*uxiliatoris institutis. Germanis der August-Monat/ Carolo Magno dictus fuit Aehren-Monat/ Spicarum. Dies habet 31.

93. *Nonus* Mensis appellatur SEPTEMBER, qvod à Martio sit qvasi septimus Imber. Ebræis dictus est תִּשְׁרִי *Tisri*, Græcis Μαιμακτήριον à Maimacta, id est, turbido aere. Germanis der Herbst-Monat/ der Gerst-Monat/ Carolo Magno der Wid-Monat/ qvod hoc Mense Cervos pingves & satientes venentur. Dies habet 30.

94. *Decimus* Mensis est OCTOBER, qvasi octavus à Martio Imber. Ebræis מַרְחֶשְׁוָן *Marchesvan* vel *Bul*. Græcis πυανεψιὼν, qvod in eo Pyanepsia sacra Apollini fiebant, coctis leguminibus; qvæ πύανα appellantur. Germanis der Wein-Monat/ à vindemiâ. Carolo Magno der Winde-Monat/ â ventis. Dies habet 31.

95. *Vndecimus* Mensis est NOVEMBER, qvasi nonus à Martio Imber. Ebræis כִּסְלֵו *Casleu*, Græcis ἀνθεστηριὼν à Festo Bachi, qvo mutuis conviviis se excipiebant. Ἀνθεστιᾶν enim est vicisim convivio

exci-

excipere. Germanis der Winter-Monat/nonnullis der Schlachte-Monat/ à mactatione pecorum. Carolo Magno der Herbst-Monat/qvo nomine hodiè September insignitur. Dies habet 30.

96. *Duodecimus* & ultimus Mensis est DECEMBER, qvasi decimus à Martio Imber. Ebræis טֵבֵת *Tebeth*, Græcis *ποσειδεὼν*, qvasi Neptunius, à Neptuni & Minervæ certamine super nomine Urbis. Germanis der Christ-Monat/ Carolo Magno der heilige Monat/ qvod Christi natalitia hoc mense celebrari soleat. Dies habet 31.

97. De Numero Dierum cujusq; Mensis seqventes nota versiculos:

Ter denos September habet, totidemq; November,
Junius, Aprilis: reliqvis superadditur unus.
Anno in communi vicenos Februus octo
Continet, hunc uno in Bissexto semper adauge.

Vel:

April ter denos, Jun. Septemb. atq; November,
Vno plus reliqvi: viginti Februus octo,
At si bissextus fuerit, superadditur unus.

98. Ordo istorum Mensium apud

1. Romanos is fuit, qvem jam recensuimus, & Nos Germani observamus.

2. Ebræis autem duplex ordo fuit; Annum enim suum politicum inceperunt à Mense *Tisri*, ex primorum Patriarcharum consvetudine. Sed Ecclesiasticum à mense *Nisan* ex instituto Mosis, à qvibus reliqvos ordine numerarunt. *Nisan* autem initium suum sumebat ab Æqvinoctio Vernali, qvod olim sex tantum diebus abfuit à fine Martii, & hinc fit, qvod multi Scriptores Ecclesiastici Mensem *Nisan* ad Aprilem potius, qvàm ad Martium referunt, *Ijar* ad Majum; & sic deinceps. Præter Menses autem communes habuerunt Ebræi etiam Mensem intercalarem, *Ve-Adar*, qvasi iteratum Adar dictum, qvem intercalarunt in fine Anni Ecclesiastici ante mensem *Nisan* & tunc Annus factus est 384. Dierum, qvi aliàs tantùm fuit 354.

3. Græci autem sive Attici, seu Athenienses, incipiebant Annum suum à Solstitio æstivo, hoc est, in Mense Junio, eratq; adeò ipsorum Mensis primus *ἑκατομβαιὼν*, secundus *μεταγειτνιὼν*,

& sic

& ſic deinceps: qvanqvam Plutarchus tradat, nihil convenire inter Græcorum & Romanorum Novilunia.

99. *Partitionem* deniq; qvod concernit, habet ea potiſsimum locum in Menſibus *Romanorum & Græcorum.*

100. *Romani* dividebant Menſes ſuos in *Kalendas, Nonas & Eidus.*

101. *Kalendæ* prima cujusq; Menſis dies dicebatur, à καλεῖν, qvod vocare ſignificat, qvia primo qvoq; Menſis die Populus à Pontifice colebatur, id eſt, vocabatur per Præconem, accepturus cauſas Feriarum, qvi præter cætera etiam, qvot Dies à Kalendis ad Nonas usq; ſupereſsent, & qvid eo Menſe faciendum eſset, qvod ad Religionem ſpectaret, indicebat.

102. *Nonæ*, qvæ ſic dicebantur, qvod à Nonis ad Eidus 9. Dies ſupputarentur: vel etiam à Nundinis, qvarum aliæ Diei qvartæ, aliæ ſextæ erant affixæ.

103. *Idus* vel *Eidus*, *a*b iduando, qvod lingvâ Hetruſcâ dividere ſignificat, qvod Idus Menſem bifariam dividant: unde & Idus μεσομήνων appellantur: vel à Græco εἶδος, *ſpecies*, qvod Luna tunc ſpecioſa & formoſa conſpiciatur. Reliqvi Dies numerantur ordine eo, qvo Kalendas ſeqventis Menſis antecedunt. Hujus loci ſunt ſeqventes Verſus:

Prima Dies Menſis cujusq; eſt dicta *Kalendæ*:
Sex *Nonas* Majus, October, Julius & Mars,
Qvatuor at reliqvi. Tenet *Idus* qvilibet octo.
Inde Dies reliqvos omnes dic eſse *Kalendas*,
Qvos retrò numerans dices à Menſe ſeqvente.

104. *Exempli gratiâ:* Menſis Novembris Dies primus dicitur Kalendæ: Secundus dicitur quartus ſeu ultimus Nonas (*ſubintellige hìc Præpoſitionem* Ante, qvæ per Ellipſin eſt omiſsa,) vel Nonarum Novembris. Poſt Nonas ſeqvitur octavus Idus vel Iduum Novembris, deinde ſeptimus, ſextus, qvintus. Idibus elapſis, qvi ſeqvuntur Dies, denominantur à Kalendis ſeqventis Menſis Decembris, uti ex ſubjecto Exemplo videre eſt.

NO-

NOVEMBER habet Dies 30.

1. *Calendæ.*
2. qvartus
3. tertius } *Nonas* Novemb.
4. ſecundus
5. *Nonæ.*
6. Octavus
7. Septimus
8. Sextus
9. Qvintus } *Idus* Novemb.
10. Qvartus
11. Tertius
12. Secundus
13. *Idus* Novembris.
14. Ultimus
15. Decimus ſeptimus
16. Decimus ſextus
17. Decimus qvintus
18. Decimus qvartus
19. Decimus tertius
20. Duodecimus
21. Undecimus
22. Decimus } *Kalendas* Decembris.
23. Nonus
24. Octavus
25. Septimus
26. Sextus
27. Qvintus
28. Qvartus
29. Tertius
30. Secundus

105. Græci, imprimis Athenienſes, ſuos Menſes Politicos, qvi omnes erant τριακονθήμεροι, in tres Decades diſpeſcebant.

106. Prima Decas dicebatur ἱσταμένυ μηνὸς, inſtantis vel imminentis Menſis. In hâc Decade primus Dies vocabatur νουμηνία, Novilunium: ſecundus ἡ δευτέρα ἱσταμένυ: tertius ἡ τρίτη ἱσταμένυ, & ſic

& sic deinceps, usq; ad diem decimum, qvi dicebatur ἡ δεκάτη ἱσαμένη.

107. Altera Decas vocabatur μεσοῦντος μηνὸς, Medii Mensis, vel ἐπὶ δέκα, hoc est, ejus partis, qvæ est supra decimum diem. Itaq; Dies primus hujus Decadis, seu Undecimus Mensis vocabatur ἡ πρώτη μεσοῦντος, vel ἡ πρώτη ἐπὶ δέκα: sequentes verò ἡ δευτέρα, ἡ τρίτη, &c. μεσοῦντος μηνὸς, vel ἐπὶ δέκα, usq; ad diem vicesimum.

108. Tertia deniq; Decas appellabatur φθίνοντος λήγοντος vel ἀπίοντος μηνὸς, deficientis, desinentis & exeuntis Mensis: item ἐπὶ εἰκάδι, supra vigesimum diem. In hâc tertiâ Decade duplici modo Dies numerabantur. Vel enim æqvè ac in præcedentibus duabus Decadibus, dies vicesimus dicebatur ἡ πρώτη φθίνοντος μηνὸς: sequentes ἡ δευτέρα, ἡ τρίτη, &c. φθίνοντος vel ἐπὶ εἰκάδι. Vel inverso numerorum ordine vigesimus primus dies dicebatur, ἡ δεκάτη τοῦ φθίνοντος, vigesimus secundus, ἡ ἐννάτη τοῦ φθίνοντος, vigesimus tertius ἡ ὀγδοὴ τοῦ φθίνοντος, & sic usq; ad ultimum seu trigesimum, qvi dicebatur ἕνη καὶ νέα vetus & nova, eò qvod esset qvasi finis veteris Mensis & initium Novi.

109. *Mensis Politicus Innominatus* aliàs dici consvevit *Embolimus*, qvasi insertus, intercalaris, der Einkömling. Nam differunt Nomina hæc *Embolimus*, *Embolimæus* & *Embolismus*. *Embolimus* est Mensis ipse, qvi intercalatur: *Embolimæus* denotat Annum, qvo *Embolimus* intercalatur: *Embolismus* verò significat ipsam intercalandi actionem.

110. *Mensis* hujus *Politici innominati* seu *Embolimi* observandus est *Ortus* & *Locus*, hoc est, unde oriatur, & qvem locum in serie reliqvorum Mensium obtineat.

111. *Ortum* ejus qvod spectat, oritur is ex differentiarum Anni Solaris & Lunaris collectione. Duplicem enim Astronomi Annum habent, uti infra audiemus, Solarem & Lunarem. Solaris Annus est spatium temporis, qvo Sol omnia duodecim Zodiaci signa percurrit, & continet 365. Dies & 6. Horas ferè. Lunaris autem annus est spatium, qvo Luna duodecies cum Sole congreditur, seu qvi duodecim Lunationes, cum omnibus suis partibus seu Phasibus, complectitur, 354. Dies & 9. Horas ferè comprehendens, adeoq; undecim Diebus minor est, qvàm Annus Solaris:

qvi

qvi Dies Epactæ vocari ſolent, & annuatim colliguntur & conjunguntur, donec Menſem æqvabilem 30 Dierum aut Numerum his majorem conſtituant; tunc enim 30 abjiciuntur, & reſiduum adſervatur, ad qvod denuò ſeqventium annorum Epactæ colliguntur, donec in 30 Dies aut amplius excreſcant, hoc modo: 11, 22, 3, 14, 25, 6, 17, 28, 9, 20, 1, 12, 23, 4, 15, 26, 7, 18, 29. Loco autem abjectorum 30 Dierum, intercalatur Menſis unus, qvi Embolimus oder der Einſömling appellatur. Neq; enim â Menſe ullo Juliano, ut reliqvi, denominationem ſortitur. Fitq; hoc ideo, ut Lunationes, qvæ aliàs per ſuam anticipationem planè extra ordinem ſuum evagaturæ, & ex æſtivalibus hyemales, & vicisſim futuræ eſſent, coherceantur, & in ordinem iterum redigantur.

112. *Locum* autem, qvi *Embolimo*, inter reliqvos Menſes debetur, qvod concernit, de eo Aſtronomi per omnia non conveniunt. Circumfertur, incerto Autore, antiqvus verſiculus:

In qvo completur, Menſi Lunatio detur.

qvem alii aliter intelligunt & interpretantur.

113. Primò enim Veteres Aſtronomi, qvi ante Calendarii Juliani correctionem vixerunt, omnes eum ita intellexerunt, qvod qvælibet Lunatio ein jeder Monſchein denominari debeat ab eo Menſe Juliano, in qvo illa completur, hoc eſt, ad finem percurrit. Ut ſi conjunctio Solis & Lunæ fiat in Auguſto, & ſeqvens conjunctio accidat in Septembri, Lunatio illa prior non â Menſe Auguſto, ſed â Menſe Septembri, in qvo finem ſuum habet, ex mente veterum Aſtronomorum, & qvi eos adhuc ſeqvuntur, denominanda eſt, adeoq; der Herbſtſchein / nicht der Auguſtſchein appellanda. Qvando autem in uno eodemq; Menſe Juliano duæ Lunationes finiantur, poſteriorem pro Embolimo habendam eſſe ſtatuerunt.

114. Secundò Aſtronomi nonnulli recentiores verſiculum illum aliter intelligunt, & τὸ *completur*, pro plenâ luce lucere accipiunt, voluntq. adeò, qvod qvælibet Lunatio debeat ab illo Menſe Juliano denominari, in qvo Lunatio completur, hoc eſt, in qvem Pleniluuium incidit. Luna enim tùm propriè compleri dicitur, qvando plena eſt, aut qvando complet Orbem ſuum, wenn er vollen Schein hat. Qvoties ergo duo Plenilunia in unum eundemq; Menſem Julianum cadunt, toties poſterius pro Menſe

Embolimo habendum, priùs verò â Menſe illo Juliano denominandum eſſe volunt.

115. Tertiò ſunt, qvibus neutra ſententia placet; ſed qvi volunt in denominandis Lunationibus reſpiciendum eſſe non ſolùm ad Menſem Julianum; ſed etiam ad ingreſſum Solis in novum ſignum, ita ut Lunatio illa, cujus Plenilunium ingreſſum Solis in novum ſignum proximè ſeqvitur, â Menſe Juliano illo, in qvo ingreſſus ille contingit, denominanda ſit. Qvod ſi duo Pleniluvia accidant, dum Sol adhuc in uno eodemq; ſigno commoratur, tunc poſterioris Plenilunii Lunationem cum omnibus ſuis partibus pro Embolimo habendam eſſe autumant, & hujus ſententiæ ſunt *Origanus*, *Euchſtadius* & alii.

116. Qvartò *Linemannus*, Mathematum in *A*cademiâ Regiomontanâ olim Profeſſor Publicus, ut & *Crügerus*, Mathematicus qvondam Dantiſcanus, tertiam ſententiam Naturæ qvidem convenientiorem eſſe judicant; ſed tamen ſufficere cenſent, ut Plenilunii illius, qvod ab Æqvinoctio Vernali, ſeu ingreſſu Solis in Arietem, proximum eſt, potiſſimùm, immò tantùm ratiò habeatur, ejusq; Lunatio tota vel â Martio, ut cenſet *Linemannus*, vel ab Aprili, ut vult *Crügerus*, denominetur: reliqvæ vero ordine ſeqvantur, & Embolimo non niſi in fine Anni Eccleſiaſtici, proximè ante Menſem Paſchalem, qvocunq; etiam aliàs Anni tempore duo Plenilunia, Sole in uno eodemq; ſigno adhuc commorante, contingant, locus tribuatur. Videantur ipſi, & qvidem *Linemannus in Deliciis Calendariographicis ad Annum 1637. Qvæſt. 1. & annum 1640. qvæſt. 6. Crügerus vero in Cupediis Aſtrologicis ad Annum 1626. qvæſt. 10.*

CAPUT V.

DE ANNO.

117. Fuit ſic & *Menſis*: ſeqvitur *Annus*, qvi eſt ſpatium temporis, qvo Stella motu proprio integrum percurrit Zodiacum. Eſtq; vel *Aſtronomicus*, vel *Politicus*.

118. *Annus Aſtronomicus* ſeu *Naturalis* eſt vel *Vſitatus* vel *Inuſitatus*.

119. *Annus Vſitatus* eſt vel *Solaris* vel *Lunaris*.

120. *Annus*

120. *Annus Solaris* est spatium temporis, qvo Sol motu suo proprio omnia duodecim Zodiaci Signa percurrit. Estq; iterum vel *Tropicus* vel *Sidereus*.

121. *Annus Solaris Tropicus* est Tempus, qvo Sol sub Ecliptică â puncto aliqvo Zodiaci, verbi gratiâ Æqvinoctiali vel Solstitiali egressus, ad idem revertitur. Vocatur aliàs etiam *Annus vertens*.

122. Dividitur *Annus Tropicus* in qvatuor Qvartas seu *Qvadrantes*, & sunt *Ver*, *Æstas*, *Autumnus* & *Hyems*.

123. *Ver* est prima Anni pars ab Æqvinoctio vernali ad Solstitium æstivum durans, qvâ Sol ambulat per ♈, ♉, ♊, signa vernalia.

124. *Æstas* est altera Anni pars, â Solstitio æstivo ad Æqvinoctium Autumnale procurrens, qvâ Sol fertur per ♋, ♌, ♍, signa æstivalia.

125. *Autumnus* est tertia Anni pars, ab Æqvinoctio autumnali, ad Solstitium Hyemale se extendens, quâ Sol peragrat ♎, ♏, ♐, signa autumnalia.

126. *Hyems* est qvarta & ultima Anni pars, â Solstitio Hyemali ad Æqvinoctium Vernale durans; qvâ Sol ascendit per ♑, ♒, ♓, signa hyemalia.

127. *Annus Solaris Sidereus* est spatium temporis, qvo Sol egressus â Stellâ aliqvâ fixâ v. g. spicâ Virginis, Caudâ Leonis, proprio motu ad eandem revertitur, estq; Dierum 365. Horarum 6. & 10. minutorum primorum.

128. *Annus Lunaris Astronomicus* est tempus, qvo Luna cursum suum absolvit, peragrato Zodiaco, qvi dicitur Mensis Lunaris periodicus, de qvo supra *Thes. 78. & seq.* egimus.

129. *Annus Astronomicus Inusitatus*, ita dictus, qvod in vitâ communi nullum, apud Astronomos non ita magnum, ac solaris, usum habeat, est vel *Stellarum Fixarum*, vel *reliqvorum*, præter Solem & Lunam, *Planetarum*, ♄, ♃, ♂, ♀ & ☿.

130. *Annus Stellarum Fixarum* est, qvo Stellæ fixæ integrum Circulum motu proprio, emensæ, ad loca pristina in Zodiaco redeunt. Et hic Annus aliàs dicitur *Annus Platonicus*, qvo exacto, omnia pristinum ordinem sint habitura: estq; ex mente *Tychonis* Annorum 25410.

131. *Annus Planetarum* reliqvorum, est vel *Saturnius*, vel *Jovialis*, vel *Martius*, vel *Venereus* vel *Mercurialis*, qvorum qvisq; integrâ Planetæ per Zodiacum revolutione determinatur.

132. *Annus*

132. *Annus Politicus* ſeu *Civilis* eſt, qvi ex inſtituto Hominum, pro cujusq́; Gentis uſu, aſſumtus eſt. Eſtq́; vel *Solaris* vel *Lunaris*.

133. *Annus Politicus Solaris* eſt, qvi ad motum Solis proprium magis accommodatus eſt, unde & nomen habet. Eſtq́; vel *æqvabilis* vel *inæqvabilis*.

134. *Annus Solaris æqvabilis* eſt, qvi ſine ullâ Horarum adjectione conſtat 365. diebus, & dicitur aliàs *Chaldaicus* & *Ægyptiacus*.

135. *Annus Solaris inæqvabilis* eſt, qvi 365. Dies & 6. Horas complectitur, & appellatur aliàs Annus Julianus, eò qvod â *Julio Cæſare*, Anno tertio Monarchiæ ſuæ, & ante natum Chriſtum qvadrageſimo qvarto, operâ *Soſigenis* Mathematici inſtitutus, & ad Solis curſum accommodatus ſit, eò fine, ut prohiberet, ne Æqvinoctia & Solſtitia tàm facile â ſedibus ſuis dimoverentur. Niſi enim iſtarum ſex horarum, qvæ qvarto qvoq́; anno collectæ, unum Diem intercalandum ſiſtunt, haberetur ratio, Menſes ſuas tempeſtates non ſervaturi eſſent; ſed æſtivi intra Annos 700 tranſituri eſſent in hyemem, & vicisſim hyberni in æſtatem eſſent migraturi. Eſtq́; iterum vel *Communis* vel *Biſextilis*.

136. *Annus Communis* continet Dies 365. adeoq́; cum anno æqvabili ejusdem Qvantitatis eſt.

137. *Annus Biſextilis*, Germanicè Schalt-Jahr/ ab antiqvo Schalten/ qvod eſt promovere; (promovetur enim litera Dominicalis uno die in Anno biſextili ob Diem intercalarem,) complectitur Dies 366. adeoq́; uno Die major eſt, qvàm communis: qvi Dies qvaternis Annis, ex horis ſex qvater ſumtis, qvibus *Annus* communis ſupra Dies 365. excreſcit, coacervatur; & circa finem Februarii, qvi eſt Menſium breviſſimus, inter Dies ejusdem vigeſimum tertium & vigeſimum qvartum, (*inter ſcilicet Terminalia & Regifugium: vide Chronologos*,) intercalatur. Dies enim vigeſimus tertius Februarii Romanis dicitur ſeptimus Calendas Martii, vigeſimus qvartus vero ſextus Calendas Martii. Qvando ergo *Dies intercalaris* inſeritur, vocatur & ipſe *ſextus Calendas Martii*, ita ut eo Anno bis ſextus Calendas Martii ſcribatur. Unde *Annus*, in qvo intercalatio ejusmodi fit, vocatur Biſextilis. Numerabant nempe Romani Dies Februarii ita: 22, 23, 24, 24, 25, 26, 27, 28, cum ipſorum Religio non ferret, ut plures qvàm 28 Dies in Februario numerarentur. Sed nos Chriſtiani naturalem

Ordi-

Ordinem ſeqventes, in *A*nno biſextili Dies viginti novem numeramus, ita tamen ut vigeſimus qvartus & vigeſimus qvintus dies unam eandemq́; literam, nempe F, & ultimus Februarii Dies in biſextili æq́; ac in communi, literam C retineant, & Feſtum etiam Matthiæ non diei intercalari, nempe vigeſimo qvarto Februarii, ſicut in anno communi, ſed vigeſimo qvinto aſſignetur, juxta verſus rophalicos:

Bis ſextum ſextæ Martis tenuere Calendæ,
Poſteriore Die celebrantur Feſta Mathiæ.

138. Cognoſcitur autem *A*nnus qvilibet, communis ne an Biſextilis ſit, tùm in veteri tùm in novâ formâ ſeqventi ratione. Si propoſitus *A*nnus per 4 exactè dividuus fuerit, Biſextilis erit: at ſi aliqvid remanſerit, erit Annus communis, qvi qvotus ſit â Biſextili, reſiduum indicabit. Exceptis in formâ *A*nni novâ centenariis iis, qvorum characteres ſignificativi per 4 exactè dividi neqveunt. Hi enim in formâ novâ accenſentur Annis communibus, cum in veteri omnes exiſtant biſextiles.

139. *Exempli gratiâ:* *A*nnus â Chriſto nato 1672 in utraq́; *A*nni formâ eſt biſextilis, qvia 1672 per 4 exactè dividi poſſunt. At Annus 1673 eſt *A*nnus in utrâq́; formâ communis, & qvidem â biſextili primus, qvia per 4 diviſus, relinqvit 1. Annus vero 1700 eſt qvidem juxta formam anni veterem Biſextilis, qvia totus per 4. exactè eſt dividuus; at ſecundum formam novam eſt communis, qvia characteres ſignificativi 17. (abjectis ciphris) non poſſunt exactè dividi per 4.

140. *Annus Politicus Lunaris* eſt, cujus ratio ad Lunam refertur; ſeu qvi â Menſibus Lunaribus deſcribitur. Eſtq́; vel *Communis*, vel *Embolimæus*.

141. *Annus Lunaris Communis* eſt, qvi ad duodecim Menſes Lunares; *Embolimæus*, qvi ad Menſes Lunares tredecim deſcribitur.

142. Ratione initii *A*nni, ordinisq́; Menſium, Anni Lunares duplicem etiam acqvirunt Denominationem. *A*lter enim qvi â Novilunio, qvod in Calendas Januarii committitur, vel ipſas proximè præcedit Calendas, initium ducit, *Annus Lunaris civilis* dicitur: alter vero, cui Novilunium Paſchale principium dat, *Annus Lunaris Eccleſiaſticus* vocatur.

LIBER

LIBER II.
DE COMPUTO PRACTICO.
CAPUT I.
DE CYCLO SOLARI,
Dem Sonnen-Circul.

143. *Computus Theoricus* ita est expositus: exponemus nunc etiam *Practicum*, qvi de ipsa partium temporis *Digestione* & *Ordinatione* agit, cujus considerandа veniunt *Media* & *Forma*.

144. *Media*, qvibus *Digestio* peragitur, sunt certæ Annorum connexiones seu Systemata, qvæ usitatę dicuntur *Cycli*, qvi sunt varii, ê qvibus autem præcipui sunt *Cyclus Solaris*, ad qvem pertinet *Litera Dominicalis*, *Cyclus Indictionis*, & *Cyclus Lunaris*, seu *Numerus aureus*, ad qvem referuntur etiam *Epactæ*.

145. CYCLUS SOLARIS, der Sonnen-Circul/ â Sole nomen habet, non qvod Sol in eo cursum suum peragat; sed qvod literæ Dominicales, hoc est, Literæ, qvæ Diei Solis dem Sonntage/ attribui solent, in eo omnes suas varietates absolvant, & ad priorem ordinem redeant; est itaq; nihil aliud, qvàm revolutio viginti octo annorum, qvibus litera Dominicalis omnes suas mutationes peragit.

146. *Hujus Cycli* observanda est *constitutio*, & Anni propositi, qvotus is Cycli Solaris sit, *Investigatio*.

147. *Constituitur Cyclus Solaris* ex ductu Cycli ferialis in Cyclum Bisextilem, hoc est, ex multiplicatione 7. in 4. Singulis enim septem annis Varietas literæ Dominicalis ad suum principium rediret; nisi Anni Bisextiles, qvi qvarto qvovis anno incidunt, obstarent. Hi enim majorem varietatem producunt, qvæ numero septenario in qvaternarium ducto, explicatur, uti in sequenti capite fusius docebimus.

148. *Investigatio* autem Anni, qvotus qvisq; datus Cycli Solaris sit, instituitur tùm in Veteri tùm in Novo Calendario ita:

1. Ad Annum Christi propositum adduntur novem: Creditur enim Christus Salvator noster natus, cum Cyclus Solaris esset Novenarius.

2. Aggre-

2. Aggregatum per 28, utpote Numerum totius Cycli, dividitur, & Qvotus exhibet integras hujus Cycli revolutiones inde â nato Christo: Residuum vero est ipse Numerus seu Annus Cycli Solaris qvæsitus. Memineris tamen, si nihil post Divisionem remanserit, totum Cyclum 28 pro residuo accipiendum esse.

149. *Exempli gratia*: Sit qværendus Anni 1673 Cyclus Solaris. Adde primò 9 ad 1673 fiunt 1682. Deinde *A*ggregatum hoc 1682 divide per 28 emergunt in Qvotiente 60, qvæ ostendunt qvoties â Christo nato Cyclus reiteratus sit, & manet in residuo 2, qvæ sunt ipse numerus, seu Annus Cycli Solaris.

Annus propositus	1673
Adde	9
Aggregatum	1682

1682	60 *Revolutiones Cycli.*
288	*& Residuum est 2 Cyclus*
2	*Solaris qvæsitus.*

CAPUT II.

DE LITTERA DOMINICALI.

150. *Littera Dominicalis* est, qvæ Diem Dominicum, seu Solis, per totum Annum ostendit, estq́; una ex his septem A. B. C. D. E. F. G. & in Anno communi unica tantum est, at in Anno bisextili duæ Litteræ Dominicales sunt, qvarum prior â principio *A*nni ad 24 usq́; Februarii, seu Festum Matthiæ usurpatur; altera vero inde usq́; ad finem Anni adhibetur.

151. Observanda est *Litteræ Dominicalis Variatio, Investigatio, & Causa Diversitatis*, qvâ Litteræ Dominicales Veteris & Novi Calendarii inter se differunt.

152. *Variationis Litteræ Dominicalis* duæ potissimùm sunt Caussæ: *una* dependet ab *Anno communi*, *altera â Bissextili*.

153. *Annus communis*, ut notum eſt, continet Dies 365 hoc eſt 52 ſeptimanas & diem unum. Jam autem Veteres ſeptem ſeptimanæ diebus, ſeptem priores Alphabeti Litteras aſsignarunt, ita ut ſingulis annis primo diei Januarii tribuerint Litteram A, ſecundo Litteram B, tertio Litteram C, & ſic conſeqventer, repetitis ſubinde Litteris ordine, usq; ad finem anni. Unde patet, qvod ſemper una ex ſeptem iſtis Litteris, Littera Dominicalis ſit. Si ergo Annus exactè 52 ſeptimanis conſtaret, omnes Anni unam eandemq; Litteram Dominicalem habituri eſsent, nec opus foret ullâ inqviſitione Cycli Solaris. Verum Annus communis ſuperat ſeptimanas 52 uno die, qvi Dies ultimus, cum Litteræ ſeptem Alphabeti in 52 ſeptimanis exacte qvinqvagies bis in ordinem redeant, neceſsariò etiam Litteram A accipit. Qvoniam ergo & ſeqvens ſeptimanæ dies, nempe primus Dies Januarii Anni novi, itidem, ut antea diximus, Littera A ſignanda eſt, fit ut Dies Dominica proximè ſeqvens, Litteram Dominicalem præcedentis Anni aſseqvi non posſit.

154. *Exempli gratiâ:* Sit anni alicujus Dies primus Januarii Dies Dominicus, & habeat Litteram *A*, erit ultimus ejusdem Anni Dies, nempe 31 Decembris etiam Dominicus Dies, & eandem Litteram A habebit, & ita annus ſeqvens incipiet â Die Lunæ, qvi, ut alii omnes primi cujusq; Anni Dies, etiam habet A, adeoq; ſeqvens Dies Martis habet B, Dies Mercurii C, Dies 4 D, Dies ♀ E, Dies ♄ F, Dies Solis G. Eodem modo *Anno* tertio Dies Dominica aſseqvitur tantum Litteram F. Et ita ſemper Littera Dominicalis mutatur retrogrado ordine.

155. Deinde ſi ſinguli *Anni* conſtarent Diebus 365, Variatio Litteræ Dominicalis ſeptem Annorum ſpatio rediret exqviſitè in ſuum ordinem. Verum cum Annus qvartus qvisq; ſit Annus Biſsextilis, in qvo diebus 365 Anni communis accreſcit adhuc Dies unus, qvi intra Dies 23 & 24 Februarii ordinarios inſeri ſolet; & Veteres etiam Biſsextilem Annum Littera A finire voluerint, factum eſt, ut Diei intercalari eandem Litteram F, qvam & 24 Februarius nativus habet, attribuerint. Unde evenit, ut proximè ſeqvens Dies Dominica, iterum Litteram Dominicalem eam, qvam præcedentes Dies Dominicæ habuerunt, aſseqvi minimè qveat, ſed

aliam

aliam novam accipiat, qvam ob causſam denuo Litterarum ordo turbatur, & major adhuc variatio earundem inducitur.

156. *Exempli gratia:* Anni 1672, qvi bisſextilis erat, Littera Dominicalis in principio Anni usq́; ad Diem intercalarem fuit C. Poſt 23 Februarii, qvi Dies ♂ fuit, & Litteram E habuit, ſeqvebatur 24 Februarii, qvi Dies intercalaris fuit, & Dies ☿, habuit ergo Litteram F. 25 Februarii fuit Dies ♃ & retinuit Litteram F: 26 Februarii fuit Dies ♀ & habuit Litteram G: 27 Februarii fuit Dies ♄ & habuit Litteram A: 28 Februarii fuit Dies Solis, & accepit Litteram novam Dominicalem B, qvæ deinceps per totum *A*nnum usq́; ad finem eadem permanſit. Habet itaq́; qvivis *A*nnus bisſextilis duas Litteras Dominicales, qvarum prior ante Diem intercalarem, poſterior poſt diem intercalarem uſurpatur. Atq́; hinc fit, ut Variationes Litteræ Dominicalis poſt qvater ſeptem annos, hoc eſt, 28 demum in ordinem priſtinum redeant.

157. *Inveſtigatio Litteræ Dominicalis* duplici modo inſtitui poteſt. Primò *Vulgariter* & uſitatè, mediante Cyclo Solis, ex Tabula hanc ad rem peculiariter conſtructâ. Deinde etiam ſine Cyclo Solis *per compendioſam ſupputationem.*

158. Priori modo, mediante Cyclo Solis indagatur Littera Dominicalis ita:

1. Qvære, juxta modum præcedenti Capite expoſitum, Numerum Cycli Solaris.
2. Cum Numero Cycli Solaris ingredere pro Calendario qvidem Veteri, Tàbulam ſubjectam primam, pro Calendario vero Novo, Tabulam ſecundam, ſi Annus ſeculi currentis, & *A*nnum Chriſti 1700 præcedens datus fuerit; vel Tabulam tertiam, ſi *A*nnus ſeculi ſeqventis & poſt annum Chriſti 1699 ſit datus; & Littera ſubſcripta eſt Littera Dominicalis qvæſita: qvæ ſi unica fuerit, *A*nnum communem: ſi duplex, *A*nnum bisſextilem oſtendit, qvarum ſuperior in principio *A*nni usq́; ad 25 Februarii ſeu Feſtum Matthiæ, inferior vero inde usq́; ad finem *A*nni uſurpatur.

Prima Tabula pro Calendario Veteri perpetua.

Numr. Cycli ⊙	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
Littera Dominicalis.	G. F.	E.	D.	C.	B. A.	G.	F.	E.	D. C.
Numr. Cycli ⊙	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.
Littera Dominicalis.	B.	A.	G.	F. E.	D.	C.	B.	A. G.	F.
Numr. Cycli ⊙	19.	20.	21.	22.	23.	24.	25.	26.	27.	28.
Littera Dominicalis.	E.	D.	C. B.	A.	G.	F.	E. D.	C.	B.	A.

Secunda Tabula pro Calendario Novo, ab Anno 1500. usq; ad Ann. 1700.

Numr. Cycli ⊙	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
Littera Dominicalis.	C. B.	A.	G.	F.	E. D.	C.	B.	A.	G. F.
Numr. Cycli ⊙	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.
Littera Dominicalis.	E.	D.	C.	B. A.	G.	F.	E.	D. C.	B.
Numr. Cycli ⊙	19.	20.	21.	22.	23.	24.	25.	26.	27.	28.
Littera Dominicalis.	A.	G.	F. E.	D.	C.	B.	A. G.	F.	E.	D.

Ter-

Tertia Tabula pro Calendario Novo
ab Anno 1700. ad Ann. 1800.

Numr. Cycli ⊙	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
Littera Dominicalis.	D. C.	B.	A.	G.	F. E.	D.	C.	B.	A. G.
Numr. Cycli ⊙	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.
Littera Dominicalis.	F.	E.	D.	C. B.	A.	G.	F.	E. D.	C.
Numr. Cycli ⊙	19.	20.	21.	22.	23.	24.	25.	26.	27.	28.
Littera Dominicalis.	B.	A.	G. F.	E.	D.	C.	B. A.	G.	F.	E.

159. *Exempli gratiâ:* Sit invenienda Littera Dominicalis Anni 1673. Primo ergo qværo, juxta doctrinam præcedentis capitis, Numerum Cycli Solaris, qvem invenio esse 2 hoc modo;

Annus prop.	1673	~~1682~~	
Adde	9	~~288~~	60
	1682	2	

Deinde cum hoc Numero 2 ingredior, pro Veteri Calendario, Tabulam primam, pro Novo vero secundam, & invenio in illâ pro Veteri Calendario Litteram unicam ei subscriptam E: in hâc vero pro Calendario novo Litteram unicam *A*; qvod indicio est Annum propositum esse communem, & unicam tantùm habere Litteram Dominicalem, qvam ubicunq; in Calendario Diei alicui appositam invenio, eum Diem concludo in proposito anno esse Diem Dominicum.

160. Sic anno Christi 1704 Cyclus Solaris erit 5, qvi juxta ductum præcedentis Capitis, ita invenitur.

Annus propositus	1704	35	
Adde	9	~~1713~~	61
	1713	288	
		2	

In priore ergo Tabulâ pro Veteri Calendario oſtendit duas Litteras B A, in tertiâ vero tabulâ pro Novo Calendario itidem duas F E, qvod indicium eſt, annum futurum eſe Biſextilem, & litteras priores ſeu ſuperiores B & F in priori anni parte, poſteriores vero *A* & E in poſteriori fore Dominicales.

161. *Cauſa*, cur Litteræ Dominicales Veteris & Novi Calendarii non ſunt eædem, hæc eſt: *A*nno 1582, cum Calendarii reformatio inſtitueretur, ejectæ ſunt ex Octobri decem integri dies, ita ut eo anno dies Octobris numerarentur 1, 2, 3, 4, 15, 16, 17, &c. unde factum, ut ſimul etiam 10 litteræ, hoc eſt omnes ſeptem, & inſuper tres denovo, diebus illis 10 ejectis competentes, omitterentur. Qvod ſi ſeptem aut qvatuordecim dies omiſi fuiſſent, (qvod vero verus Motus Solis non permiſit) Litteræ permanſiſſent in ſuo ordine priſtino. Verum nunc, ob iſtam decem dierum præteritionem, Littera dominicalis novi Calendarii hoc noſtro currente ſeculo tribus locis â Littera dominicali Veteris Calendarii antrorſum remota eſt. Et hæc eſt Cauſa cur Litteræ utriusq; Calendarii non conveniant.

162. *Cauſa* etiam, cur Tabula Novi Calendarii non ſit perpetua, ſicut *V*eteris Calendarii, hæc eſt: *A*nnus Julianus eſt $365\frac{1}{4}$ dierum, & excedit annum Solarem aliqvot minutis, qvæ collecta conſtituunt in annis 300 integrum ferè diem; unde, ne dies Æqvinoctii denuò â ſuo loco dimoveretur, Correctores Calendarii ordinarunt, ut in iis annis centenariis, qvorum characteres ſignificativi per 4 non ſunt exactè dividui, habeantur pro communibus, qvales ſunt 1700, 1800, 1900 &c. qvi aliàs in Calendario Veteri omnes ſunt Biſextiles. Hinc, ob omiſſionem diei intercalaris in iſtis annis, Litterarum dominicalium ordo denuò turbatur, ita ut Novas Tabulas pro iis (qvalis pro 1700 eſt tertia paullò ante tradita,) conſtruere neceſſe ſit.

163. Poſteriori modo, ſine Cyclo Solari, Littera dominicalis facillimè etiam inveſtigari poteſt hâc ratione:

1. Numerum centenariis minorem divide per 4.
2. Qvotienti emergenti adde eundem Numerum minorem.

3. *A*ggre-

3. *A*ggregatum divide per 7, & relictum (pro hoc noſtro ſeculo,) ſubtrahe ab 8: (pro ſeculo vero inſtante) idem relictum ſubtrahe â 10. & Reſiduum indicabit Litteram dominicalem Novi Calendarii qvæſitam. Qvod ſi nihil remanſerit, (pro hoc noſtro currente ſeculo,) 7 ab 8 ſubtrahe: aut (pro ſeculo inſtante) ſi poſt ſubtractionem relicti plus qvàm 7 remanſerit, â Reſiduo adhuc ſeptem abjice; ut indicem Litteræ dominicalis Novi Calendarii acqviras.

4. *A*dde pro Seculo noſtro adhuc qvatuor, hoc eſt, numera â litterâ dominicali Novi Calendarii excluſivè adhuc qvatuor: pro Seculo vero inſtante, adhuc tres literas, habebis etiam Litteram dominicalem Veteris Calendarii.

Nota: Si annus propoſitus fuerit biſſextilis, duæ Litteræ dominicales uſurpantur, nempe Littera inventa in poſteriori parte anni, ſeqvens vero in priore parte adhibenda eſt. Litteræ vero ita numeris ſuis ſignandæ ſunt.

1 2 3 4 5 6 7
A B C D E F G

1764. E. g. Sit indaganda Littera dominicalis pro anno 1673. Primo numerum minorem 73 divide per 4. emergent 18 & remanet 1, qvæ negligitur. *A*d qvotientem 18 adde numerum minorem 73 fiunt 91. Hæc divide per 7, proveniunt 13, qvæ non curantur, & remanet 0: pro qvâ ſumo 7 qvod ſubtraho ab 8, relinqvitur 1, qvæ indicat primam Litteram nempe *A* eſſe Litteram dominicalem Novi Calendarii; a qvâ progredere numerando uſq; ad qvartam naturali ordine ſeqventem, & offendes *E* Litteram dominicalem etiam Calendarii Veteris.

Operatio

Operatio.

31 |
1673 | 18 *Qvotus*
44 | 73 *Numr. minor* add.

91

20 |
91 | 13 *Remanet Ciphra. Ergo pro eâ ſumo 7 & ſubtraho ab*
77 | 8 *relinqvitur* 1.

Ergo Littera Dominicalis N.C. *eſt* A *& Veteris* E.

165. Sic ſit qværenda Littera dominicalis Anni inſtantis ſeculi 1704 Biſextilis. Procede per omnia juxta Regulam datam; nempe numerum minorem 4 divide per 4 emergit 1. Qvotienti huic adde eundem numerum minorem 4 fiunt 5. Summam hanc divide per 7, remanent 5, qvæ ſubtrahe â 10, relinqvuntur 5, qvæ dant Litteram E pro parte anni poſteriore, & pro anni parte priore F, in Calendario Novo. Qvod ſi numeres ab E ulterius ad tertiam usq; Litteram, pervenies ad *A*, qvæ eſt Littera dominicalis partis poſterioris, & B partis prioris Anni in Calendario Veteri.

Operatio.

1704 | 1 *Qvotus*
4 | 4 *Nrus minor*

5 *Summa*

5 | 0 *Qvotus*
7 | *Remanet 5 qvæ*
Subtrahe â 10
relinqvitur 5 qvæ dant E
pro Novo & A pro Veteri
Calendario.

166. Deniq; facillimè etiam, & ſine omni Calculo, pro qvovis ſeculorum qvorumcunq; anno Littera dominicalis Novi Calendarii, ope ſeqventis Tabulæ haberi poteſt ita: *A*nni Chriſti propoſiti figuras numerales binas, qvæ centurias & centuriarum decades numerant, nullâ ratione habitâ figurarum reliqvarum, tàm præcedentium qvàm conſeqventium, per 4 dividantur, & reſiduum (qvoti enim nulla habetur ratio,) erit aut 0, aut 1, aut 2, aut 3,

qvi

qvi etiam ſunt indices tabularum, & qvalitatis centeſimorum, biſexti ne ſint, an vero primi, ſecundi vel tertii â biſextis, Cum hoc ergo reſiduo ſeu indice in Capite, & anno Centuriæ in latere, tabulam ingredere, & angulus communis, qvi uno habetur intuitu, litteram dominicalem pro Calendario Gregoriano exhibet: hoc ſolum notandum, in primo transverſali ordine, qvi centeſimorum eſt, pro nonbiſextis unicam ſolam litteram, & qvidem eam, qvæ ſolitaria eſt, eſſe accipiendam. E. g. ſi qværatur, qvæ littera dominicalis futura ſit anno Chriſti 12245? 22 diviſa per 4? reſiduum faciunt indicem 2, ſub qvo è regione numeri 45 reperitur littera E dominicalis qvæſita. Immo neq; ullâ per 4 diviſione opus eſt: cum enim ſemper qvatuor numeri Annorum expanſorum eâdem includantur cellulâ, ſi primo cujusvis cellulæ pro indice eliciendo tribuas 0, ſecundo 1, tertio 2, qvarto 3, ipſæmet binæ figuræ, qvas jusſimus pro annis centeſimis aſſumere, in iſtis cellulis repertæ, indicem qvæſitum absq; ullâ diviſione ſub-

Indices Centuriarum.				Anni Centuriarum expanſi.			
0	1	2	3				
B A	D C	F E	A G	0	28	56	84
G	B	D	F	1	29	57	85
F	A	C	E	2	30	58	86
E	G	B	D	3	31	59	87
D C	F E	A G	C B	4	32	60	88
B	D	F	A	5	33	61	89
A	C	E	G	6	34	62	90
G	B	D	F	7	35	63	91
F E	A G	C B	E D	8	36	64	92
D	F	A	C	9	37	65	93
C	E	G	B	10	38	66	94
B	D	F	A	11	39	67	95
A G	C B	E D	G F	12	40	68	96
F	A	C	E	13	41	69	97
E	G	B	D	14	42	70	98
D	F	A	C	15	43	71	99

Indices Centuriarum.				Anni Centuriarum expansi.		
0	1	2	3			
C B	E D	G F	B A	16	44	72
A	C	E	G	17	45	73
G	B	D	F	18	46	74
F	A	C	E	19	47	75
E D	G F	B A	D C	20	48	76
C	E	G	B	21	49	77
B	D	F	A	22	50	78
A	C	E	G	23	51	79
G F	B A	D C	F E	24	52	80
E	G	B	D	25	53	81
D	F	A	C	26	54	82
C	E	G	B	27	55	83

miniſtrabunt. Ut in Exemplo propoſito numerus Centenariorum eſt 22, & tertius in ſuâ cellulâ, (in qvâ iſti numeri conſpiciuntur 20, 21, 22, 23) idcirco ejus indicem dicito eſſe 2.

CAPUT III.

DE INDICTIONE ROMANA,

Von der Römer Zinſe-Zahl.

167. INDICTIO ROMANA ſeu Cyclus Indictionalis, eſt Spatium Temporis trium Luſtrorum, ſeu 15 Annorum. Cujus obſervanda ſunt *Vſus* & *Inventio*.

168. *Vſus Cycli* hujus olim hic fuit. Romani, qvi univerſo fere Orbi terrarum dominabantur, Gentes longius â ſe diſitas ad tributa qvinto qvoq́; Anno ferenda cogebant, & qvidem ita, ut in fine primi Qvinqvennii aurum afferrent, ad Imperii conſervationem & Dominationis ſignum: in fine ſecundi argentum, ad ſtipendia Militum; in fine tertii ferrum, ad reparationem armorum. Ut ergo populus, qvo anno tributa ſolvenda eſſent, & ſimul qvotus Annus poſt tributionem flueret, certus eſſet, Cyclum hunc inſtituerunt.

tuerunt. Neve hæc Romanorum constitutio facile ex hominum memoriâ laberetur, sanxerunt postmodum Imperatores posteriores, ne ullum instrumentum â Notario confectum, ratum haberetur, nisi indictione adjectâ, qvod & hisce temporibus adhuc in Imperio observari solet. Incipit autem Indictionis Cyclus ex Imperatorum sententiâ 24 Septembris: ex Romani Pontificis vero decreto 1 Januarii.

169. *Inventio hujus Cycli* ita instituitur.

1. Adde ad annum æræ Christianæ propositum 3, siqvidem Christus, secundum Dionysium Abbatem, est natus anno qvarto Cycli Indictionis.

2. Aggregatum hoc divide per 15, & qvod post divisionem remanet, est Numerus Indictionis qvæsitus. Qvod si nihil remaneat, totus Cyclus Indictionis, nempe 15, pro qvæsito accipiendus est.

Solet & hoc Distichon pro retinendâ facilius operatione tradi.

Si tribus adjunctis Domini diviseris Annos,
Ter Tibi per qvinos Indictio certa patebit.

170. Veluti, qværenda sit Indictio Anni 1673. Primò ei adde 3, fiunt 1676. Aggregatum hoc divide per 15, proveniunt in Qvoto III, qvæ non curantur, & relinqvitur 11, qvi ipse Numerus est Indictionis qvæsitus.

Operatio.

Annus datus	1673	
adde	3	
	1	
	~~121~~	
Aggregatum	~~1676~~	III *Qvotus*
Divide per	~~1555~~	
	~~11~~	

Relinqvitur 11 Indictio qvæsita.

171. Si dentur anni ante Christum natum, subtrahuntur Annis datis 3: qvod provenit, dividitur per 15 & Residuum subtrahitur â 16, qvod restat, est Indictio qvæsita. Ut Anno 142 ante Christum natum Indictio est 12, ut seqvens operatio ostendit.

Annus ante Christum	142		
Subtrahe	3		
	4		
Residuum	139	9	*Quotus*
divide per	15		
restat	4		
quæ subtrahe â	16		
Indictio qvæsita	12.		

CAPUT IV.

DE CYCLO LUNARI, SEU AUREO NUMERO.

Von der Güldnen Zahl.

172. CYCLUS LUNARIS, qvi Cyclus decemnovennalis, Græcis ἐννεαδεκαέτηρις dicitur, est Revolutio periodica annorum nostrorum civilium novendecim, post qvod tempus elapsum antiqvitas Lunationes, hoc est, Novilunia, Plenilunia & Qvadraturas, ad pristinum statum redire arbitrabatur. Et hujus Cycli partem qvamlibet *Aureum* vocabant *Numerum*, ex eâ ratione qvæ jam indicabitur.

173. Considerandæ autem sunt *Numeri Aurei* tùm *Officium*, seu *Vsus*, tùm *Indagatio ejusdem.*

174. *Officium* seu *Vsum Aurei Numeri* qvod spectat, inventus is est, ut indicaret & ostenderet 1. Conjunctiones & Oppositiones Luminarium, & inde 2. etiam Terminum Paschalem. Et ob hunc duplicem Usum insignem, qvem præstare olim Veteribus credebatur, vel etiam, qvod litteris aurei coloris in Calendario Romano olim scribi solitus fuerit, Nomen suum sortitus est, ut *Aureus Numerus* vocaretur.

175. Primò enim, ex *Metonis Asserto*, qvi annis ante Christum circiter 431 floruisse dicitur, & primus Lunæ ratiocinia, sive Novilunia & Ple-

& Plenilunia poſt annos 19 ad eundem diem reverti docuit, priſci Chriſtiani perſvaſi, Cyclum hunc per omnia Motui Luminarium congruere arbitrati ſunt. Unde poſtea *Dionyſius* Abbas Romanus, Numeros hujus Cycli ab unitate usq; ad 19 Romano Calendario ita adaptavit, ut, ſi conſtaret, qvis Numerus aureus Anni alicujus Æræ Chriſtianæ eſſet, ſtatim ex Calendario Novilunia cognoſcerentur. Qvibuscunq; enim Diebus in illo anno aureus Numerus adſcriptus reperiebatur, eo ipſo die Novilunium evenire credebatur. Verum poſterior Ætas longâ obſervatione deprehendit, Lunationum varietatem ſpatio novendecim annorum, uti Veteres arbitrati ſunt, præciſè in orbem non redire; ſed anticipationem fieri in 19 Annis ad Horam & 30 minuta ferè ante. Veluti fiat aliqva media conjunctio Solis & Lunæ in principio Arietis in ipſa meridie: & poſt annos 19 eadem conjunctio eveniet horâ 1 & 30 minutis ferè ante. Unde hic prior Uſus hodie ferè obſolevit, & Lunationes juxta eum non amplius dijudicantur.

176. *Vſus* tamen *alter*, qvi eſt, ut Terminus Paſchalis, qvemadmodum olim â Concilio Nicæno ordinatus eſt, oſtendatur, adhuc in Calendario Veteri, (in Novo enim alia obſervatur ratio) retinetur. Numeri enim hujus beneficio Paſchata, qvo Die Menſis etiam ante 1200 annos celebrata ſint, ſcire posſumus: qvanqvam hodierno tempore, in celebratione Paſchatis, juxta Vetus Calendarium, â vero Termino enormiter & ad qvinq; qvandoq; Septimanas aberretur, ut ita aureus iſte Numerus, cum id verè non præſtet, qvod debet, ferè plumbeus factus ſit.

177. *Inveſtigatio* Numeri aurei ad qvemcunq; annum, tùm in Veteri tùm in Novo Calendario ita peragitur:

1. Additur anno poſt Chriſtum natum propoſito unitas: qvandoqvidem eo anno, qvo natus dicitur Salvator Chriſtus, aureus Numerus fuit 1.
2. Aggregatum dividitur per 19, & Reſiduum, (Qvoti enim nulla habetur ratio) eſt Numerus aureus propoſiti anni qvæſitus: hoc ſaltem obſervato, qvod ſi poſt Diviſionem in Reſiduo nihil remaneat, integer Cyclus 19 pro Numero aureo aſſumendus eſt.

178. Sit v. g, qværendus aureus numerus anni 1673. Primo igitur adde ei unitatem, fiunt 1674. Deinde hoc Aggregatum 1674 divide per 19, emergunt in Qvotiente 88, qvæ negliguntur, & remanent 2, qvæ sunt ipse Numerus aureus hujus anni concupitus, tum in Veteri tum in Novo Calendario.

Annus propositus 1673
Adde 1
Aggregatum 1674

Aggregatum 1674 | 88 *Qvotus*
divide per 152, 199

Residuum 2 *est* Aureus Numerus *qvæsitus.*

CAPUT V.

DE EPACTIS,

Vom Mon = Zeiger.

179. EPACTÆ dictæ ab ἐπάγειν *invehere, inferre*, sunt Dies, qvibus annus Solaris communis superat annum Lunarem. Annus enim Solaris communis est 365: Lunaris vero tantùm 354 dierum. Superat itaq; annus Solaris Lunarem 11 Diebus, & hinc Novilunia & Plenilunia singulis annis 11 ferè diebus citius contingunt, qvàm anno antecedente, ut ex Annuis Calendariis videre est,

180. Observanda autem sunt *Epactarum* 1. *Ortus & Series.* 2. *Convenientia* cum *Cyclo Lunari* seu Numero aureo. 3. *Investigatio.* 4. *Vsus.*

181. *Oriuntur Epactæ*, ut jam dictum, ab Excessu 11 Dierum, qvo annus Solaris Lunarem superat. Nam isti 11 Dies sunt Epactæ primi anni; qvibus accedunt anno secundo alii 11 Dies, ut fiant Epactæ secundi anni 22; tertio anno iterum 11 Dies adveniunt,

ut

ut fiant 33, & si ita pergeretur, excessus in aliqvot annis in immensum se extensurus esset. Ne autem hoc fieret, necessum fuit certum terminum constituere, ultra qvem *Epactæ* non sunt extendendæ, qvi qvidem est Numerus tricenarius seu 30. Qvoties ergo Epactæ 30 Dies superant, de iis 30 abjiciuntur, & pro iis Lunatio integra, eo anno, intercalatur, ut fiat annus Embolimæus tredecim Lunationum: Residuum vero ultra 30 Epactas servatur, & anni seqventis Epactis jungitut. Itaq; si de 33, qvæ excessum trium annorum comprehendunt, 30 abjiciantur, remanent 3, qvæ sunt tertii anni Epactæ: his si addantur 11, fiunt Epactæ qvarti anni 14: qvibus si rursus addantur 11, constituuntur qvinti anni epactæ 25: qvibus denuò additi 11 Dies prodeunt 36, hoc est, Lunatio integra, qvæ intercalatur, & 6 insuper Dies, qvæ sunt epactæ sexti anni. Et ita progrediendum est usq; ad annum 19, pro qvo tamen 12 non 11 Epactæ assumendæ & addendæ sunt, qvæ assumtio 12 epactarum Saltus Lunæ vocatur, fitq; ideo, ut eædem Epactæ ad eosdem Cyclos, ubi antea fuerant, redire possint. *Vide Calvisii Elench. Cap. 14.*

128. *Conveniunt* autem *Epactæ* cum Numeris aureis, in Veteri Calendario qvidem ita, ut primus annus Cycli Lunaris habeat Epactas 11; secundus 22; tertius 3; qvartus 14; qvintus 25; & ita consequenter. In novo autem Calendario, cum Dies 10 sint extrusi, & futuris seculis plures omittendi sint, mutabilis & inconstans est epactarum cum aureis Numeris convenientia: nostris tamen temporibus usq; ad annum 1700 Epactæ Novi Calendarii decem diebus minores existunt Veteribus, ita ut primo Cycli Lunaris anno respondeat Epacta 1; secundo 12: tertio 23: &c. uti ex subjectâ Tabellâ patet.

Tabula

Tabula convenientiam monſtrans Epactarum cum Aureis Numeris.

Aureus Numer.	Epactæ V. Cal.	Epactæ N. Cal.	Aureus Numer.	Epactæ V. Cal.	Epactæ N. Cal.	
1	11	1	11	1	21	
2	22	12	12	12	2	
3	3	23	13	23	13	
4	14	4	14	4	24	
5	25	15	15	15	5	
6	6	26	16	26	16	
7	17	7	17	7	27	
8	28	18	18	18	8	
9	9	29	19	29	19	*adde* 12
10	20	10	1	11	1	*fiunt.*

183. *Inveſtigantur Epactæ* mediante Cyclo Lunari, ſeu aureo Numero. Etſi enim hic in Novo Calendario, â Reformatoribus ejusdem, qvoad uſum ſuum priſtinum, qvo Novilunia oſtendebat, ſit rejectus: reſervatur tamen adhuc *in* hunc finem, ut per eum Epactæ inveniantur; id qvod fit ſeqventi ratione.

1. Multiplica *A*ureum Numerum propoſiti anni per 11.
2. Productum divide per 30, & reſiduum ſiſtet Epactas Calendarii Veteris, â qvibus ſubtrahe 10, adjectis prius 30, ſi ſubtractio fieri neqveat, & habebis etiam Epactas Calendarii Novi hoc currente ſeculo.

148. Veluti inveſtigandæ ſint Epactæ anni 1673, cujus *A*ureus Numerus *Thes. 178.* deprehenſus eſt 2. Hunc ergo numerum aureum 2 multiplica per 11, fiunt 22. Productum hoc divide per 30, proveniunt in Quoto 0, qvæ non curatur, & remanent 22. Epacta itaq; Veteris Calendarii eſt 22. Ab hac ſubtraho 10, relinqvuntur 12, qvæ ſunt Epactæ Novi Calendarii: qvæ eædem etiam, ex Tabulâ *Theſi præcedenti 182* ſubjectâ, colligi poſſunt.

Opera.

Operatio.

Anni propoſiti 1673 *Numerus aureus*
eſt 2
multiplica per 11

Productum 22 |
Divide per 30 | 0 *Quotus*

Remanent 22 Epactæ V. Cal.
â qvâ ſubtrahe 10

Remanent 12 Epactæ N. Cal.

185. Ratio Regulæ eſt: Multiplicatio fit per 11, qvia cuilibet anno Epactæ dantur 11: ex producto deinde per diviſionem tricenarii, abjiciuntur Lunationes Embolimæ integræ, qvarum numerum neceſſariò refert Qvotus. Multiplicatur deniq; aureus Numerus, non anni Chriſti, tùm qvod primo Cycli anno debentur Epactæ 11, tum qvia cum eodem aureo Numero ſemper eadem redit Epacta.

186. Uſus Epactarum (qvæ primis temporibus in uſu non fuerunt,) eſt, ut

1. Differentiam inter annum Lunarem & Solarem monſtrent.
2. Novilunia, Plenilunia & Ætatem Lunæ (cum id aureus Numerus hiſce temporibus, qvibus ad indicanda Feſta mobilia in Veteri Calendario tantummodo adhibetur, præſtare non poſſit,) ad tempus qvodcunq; propoſitum tàm præteritum qvam futurum, patefaciant.

Id qvod fit ſeqventi modo:

1. Ad datum annum Menſem & Diem Epactæ indagantur, eo qvem monſtravimus modo.
2. Diſpicitur, num Menſis propoſitus ſeqvatur vel antecedat Martium, & qvotus ſit â Martio.
3. Si propoſitus Menſis ſit vel ipſe Martius, vel Martium præcedens, Epactis inventis junguntur ſaltem Dies propoſiti Menſis, & habetur Ætas Lunæ.

4. Sin vero propositus Mensis Martium seqvatur, Numerus Mensis â Martio exclusivè numeratus, Epactis adjicitur, annumeratis Aggregato Diebus Mensis propositi, & collectus Numerus exhibebit Lunæ ætatem Mensis dati.

Nota: Si Numerus collectus ad 29 usq; excrescat, 29 prius abjicienda sunt.

187. Veluti qværitur, qvam ætatem Luna habuerit Anno 1673 die 6. Julii Calendarii Veteris? Primo ergo Epactis hujus anni Calendarii Veteris, qvæ sunt 22 addo 4, qvia Julius est qvartus Mensis â Martio, qvibus annumero 6 Dies Mensis dati, & proveniunt 32, hinc abjectis 29 relinqvuntur 3. Patet ergo propositum 6 Diem Julii â Novilunio distare tribus diebus juxta Calendarium vetus.

Operatio.

Anni 1673 *Epactæ*	22
Julius â Martio est Mens.	4
Dies Julii	6
Aggregatum	32
Subtrahe	29
Remanent Dies	3 Ætas Lunæ.

188. Sic qværitur, qvam Luna Ætatem habuerit 6 Julii eodem anno 1673 juxta Calendarium Novum. Procede ut prius & proveniunt 22 Dies.

Operatio.

Epactæ Anni 1673 N. C.	12
Julius â Martio est Mensis	4
Dies Julii	6
Aggregatum	22 Ætas Lunæ qvæsita.

189. Verum ut aureus Numerus, ex rationibus supra adductis, Novilunia rectè non ostendit: ita & Epactæ ad Noviluniorum Dies & Ætates ☽ monstrandas admodum langvidæ deprehenduntur. Ideo & â Scriptoribus Ephemeridum & Calendariorum hodiè negligi solent. Interim tamen ad Terminum Paschalem in Novo Calendario inveniendum, ex ordinatione Gregorii XIII. Pontificis, & usu recepto, adhibentur, uti ex seqventibus patebit.

CAPUT

CAPUT VI.

DE CALENDARIO.

190. Fuerunt *Media*, qvibus *Digestio partium Anni* peragitur: seqvitur nunc *Forma Digestionis* in Calendario.

191. CALENDARIUM enim nihil aliud est, qvàm artificiosa Mensium & Dierum, ad usum Ecclesiasticum & Politicum accommodata, Dispositio.

192. Hujus variæ sunt Formæ, e qvibus inter Christianos maximè viget *Calendarium Julianum*, ita dictum, ab Autore Cajo Julio Cæsare, qvi Antecesorum suorum Anni rationem, qvod nimis extra ordinem deflecteret, operâ *Sosigenis*, insignis Astronomi, qvem hoc fine secum Romam è Scholâ Alexandrinâ adduxerat, emendatam & in ordinem redactam, Anno ab Urbe conditâ 708, ante natum Christum 45, Qvinto Fabio Maximo & Cajo Treboniano Consulibus, promulgavit & introduxit.

193. Cujus ipsius tamen hodie duæ qvasi sunt species, *Vetus* & *Novum*; illud *κατ' ἐξοχὴν Julianum* dicitur: hoc *Gregorianum seu Lilianum* appellari consvevit.

194. *Calendarium Julianum Vetus* est, qvod inde â Nicæno Concilio usq; ad promulgationem Calendarii Gregoriani apud omnes, hodiè vero apud Anglos, Danos, Svecos & Protestantes Status Germaniæ adhuc in usu est, & qvoad Formam & Substantiam Calendarii Juliani primi & Anni ipsius non differt, nisi qvod â Concilio Nicæno Festis pluribus, imprimis Paschali, & variis huic inservientibus Cyclis, exornatum prodiit.

195. *Calendarium Gregorianum*, ita dictum â Gregorio XIII Pontifice, qvod aliàs & *Lilianum*, ab Authore *Lilio*, dicitur; Anno 1582, Mense Octobri introductum est, hâc ratione. Julius Cæsar *Anni* sui Politici Qvantitatem, commodioris Calculi Caussâ, assumserat 365 Dierum & 6 Horarum; cum tamen *Annus* Solaris tropicus medius tantum sit 365 Dierum, 5 Hor. 49′, 16″, 17‴: adeoq; suum Annum 10′, 43″, 43‴, hoc est, qvintâ ferè parte unius horæ justo majorem constituerat. Inde factum ut Annis 130 circiter, Juliana ratio Politica, Solarem rationem Naturalem integro Die

excedens, Æqvinoctium, qvod tempore Christi & Julii Cæsaris in 24 vel 25 Martii incidebat, tempore Concilii Nicæni, qvod Anno Christiano 325 celebratum fuit, in 20 vel 21; hodie vero in 10 vel 11 ejusdem Mensis Diem retrojecerit. Huic inordinationi Gregorius XIII remedium adhibiturus, Calendarium reformavit, ejectis 10 Diebus, & reducto Æqvinoctio ad 21 Martii, ubi erat tempore Concilii Nicæni, ut ita Pascha, & reliqva Festa mobilia iterum ad mentem Concilii Nicæni celebrari possent. Et ab eo tempore duplex cæpit esse Annus in Republicâ Christianâ, Vetus nempe & Novus, qvorum formam exhibet seqvens

CALENDARIUM
JULIANO - GREGORIANUM.

Dies	Julius.				Augustus.				September.			
	Lit	Cyc☽	Epact	D R	Lit	Cyc☽	Epact	D R	Lit	Cyc☽	Epact	D R
1	G	19	26	Cal.	C	8	25.24	Cal.	F	16	23	Cal.
2	A	8	XXV25	VI	D	16	23	IV	G	5	22	IV
3	B		24	V	E	5	22	III	A		21	III
4	C	16	23	IV	F		21	Prid.	B	13	20	Prid.
5	D	5	22	III	G	13	20	Non	C	2	19	Non
6	E		21	Prid.	A	2	19	VIII	D		18	VIII
7	F	13	20	Non	B		18	VII	E	10	17	VII
8	G	2	19	VIII	C	10	17	VI	F		16	VI
9	A		18	VII	D		16	V	G	18	15	V
10	B	10	17	VI	E	18	15	IV	A	7	14	IV
11	C		16	V	F	7	14	III	B		13	III
12	D	18	15	IV	G		13	Prid.	C	15	12	Prid.
13	E	7	14	III	A	15	12	Idus	D	4	11	Idus
14	F		13	Prid.	B	4	11	XIX	E		10	XVIII
15	G	15	12	Idus	C		10	XVIII	F	12	9	XVII
16	A	4	11	XVII	D	12	9	XVII	G	1	8	XVI
17	B		10	XVI	E	1	8	XVI	A		7	XV
18	C	12	9	XV	F		7	XV	B	9	6	XIV
19	D	1	8	XIV	G	9	6	XIV	C		5	XIII
20	E		7	XIII	A		5	XIII	D	17	4	XII
21	F	9	6	XII	B	17	4	XII	E	6	3	XI
22	G		5	XI	C	6	3	XI	F		2	X
23	A	17	4	X	D		2	X	G	14	1	IX
24	B	6	3	IX	E	14	1	IX	A	3	*	VIII
25	C		2	VIII	F	3	*	VIII	B		29	VII
26	D	14	1	VII	G		29	VII	C	11	28	VI
27	E	3	*	VI	A	11	28	VI	D	19	27	V
28	F		29	V	B	19	27	V	E		XXV26	IV
29	G	11	28	IV	C		26	IV	F	8	25.24	III
30	A	19	27	III	D	8	25	III	G		23	Prid.
31	B		XXV26	Prid.	E		24	Prid.				

Dies	October.				November.				December.			
	Lit	Cyc☽	Epact	D R	Lit	Cyc☽	Epact	D R	Lit	Cyc☽	Epact	D R
1	A	16	22	Cal.	D		21	Cal.	F	13	20	Cal.
2	B	5	21	VI	E	13	20	IV	G	2	19	IV
3	C	13	20	V	F	2	19	III	A		18	III
4	D	2	19	IV	G		18	Prid.	B	10	17	Prid.
5	E		18	III	A	10	17	Non	C		16	Non
6	F	10	17	Prid.	B		16	VIII	D	18	15	VIII
7	G		16	Non	C	18	15	VII	E	7	14	VII
8	A	18	15	VIII	D	7	14	VI	F		13	VI
9	B	7	14	VII	E		13	V	G	15	12	V
10	C		13	VI	F	15	12	IV	A	4	11	IV
11	D	15	12	V	G	4	11	III	B		10	III
12	E	4	11	IV	A		10	Prid.	C	12	9	Prid.
13	F		10	III	B	12	9	Idus	D	1	8	Idus
14	G	12	9	Prid.	C	1	8	XVIII	E		7	XIX
15	A	1	8	Idus	D		7	XVII	F	9	6	XVIII
16	B		7	XVII	E	9	6	XVI	G		5	XVII
17	C	9	6	XVI	F		5	XV	A	17	4	XVI
18	D		5	XV	G	17	4	XIV	B	6	3	XV
19	E	17	4	XIV	A	6	3	XIII	C		2	XIV
20	F	6	3	XIII	B		2	XII	D	14	1	XIII
21	G		2	XII	C	14	1	XI	E	3	*	XII
22	A	14	1	XI	D	3	*	X	F		29	XI
23	B	3	*	X	E		29	IX	G	11	28	X
24	C		29	IX	F	11	28	VIII	A	19	27	IX
25	D	11	28	VIII	G	19	27	VII	B		26	VIII
26	E	19	27	VII	A		XXV26	VI	C	8	XXV25	VII
27	F		26	VI	B	8	25.24	V	D		24	VI
28	G	8	XXV25	V	C		23	IV	E	16	23	V
29	A		24	IV	D	16	22	III	F	5	22	IV
30	B	16	23	III	E	5	21	Prid.	G		21	III
31	C	5	22	Prid.					A		20	Prid.

Dies	*Januarius.*				*Februarius.*				*Martius.*			
	Lit	Cyc☽	Epact	D R	Lit	Cyc☽	Epact	D R	Lit	Cyc☽	Epact	D R
1	A	3	*	Cal.	D		29	Cal.	D	2	*	Cal.
2	B		29	IV	E	11	28	IV	E		29	VI
3	C	11	28	III	F	19	27	III	F	11	28	V
4	D		27	Prid.	G	8	XXV26	Prid.	G		27	IV
5	E	19	26	Non	A		25.24	Non	A	19	26	III
6	F	8	XXV25	VIII	B	16	23	VIII	B	8	XXV25	Prid.
7	G		24	VII	C	5	22	VII	C		24	Non
8	A	16	23	VI	D		21	VI	D	16	23	VIII
9	B	5	22	V	E	13	20	V	E	5	22	VII
10	C		21	IV	F	2	19	IV	F		21	VI
11	D	13	20	III	G		18	III	G	13	20	V
12	E	2	19	Prid.	A	10	17	Prid.	A	2	19	IV
13	F		18	Idus	B		16	Idus	B		18	III
14	G	10	17	XIX	C	18	15	XVI	C	10	17	Prid.
15	A		16	XVIII	D	7	14	XV	D		16	Idus
16	B	18	15	XVII	E		13	XIV	E	18	15	XVII
17	C	7	14	XVI	F	15	12	XIII	F	7	14	XVI
18	D		13	XV	G	4	11	XII	G		13	XV
19	E	15	12	XIV	A		10	XI	A	15	12	XIV
20	F	4	11	XIII	B	12	9	X	B	4	11	XIII
21	G		10	XII	C	1	8	IX	C		10	XII
22	A	12	9	XI	D		7	VIII	D	12	9	XI
23	B	1	8	X	E	9	6	VII	E	1	8	X
24	C		7	IX	F		5	VI	F		7	IX
25	D	9	6	VIII	G	17	4	V	G	9	6	VIII
26	E		5	VII	A	6	3	IV	A		5	VII
27	F	17	4	VI	B		2	III	B	17	4	VI
28	G	6	3	V	C	14	1	Prid	C	6	3	V
29	A		2	IV					D		2	IV
30	B	14	1	III					E	14	1	III
31	C	3	*	Prid					F	3	*	Prid

Dies	*Aprilis.*				*Majus.*				*Junius.*			
	Lit	Cyc☽	Epact	D R	Lit	Cyc☽	Epact	D R	Lit	Cyc☽	Epact	D R
1	G		29	Cal.	B	11	28	Cal.	E		27	Cal.
2	A	11	28	IV	C		27	VI	F	19	XXV26	IV
3	B		27	III	D	19	26	V	G	8	25.24	III
4	C	19	XXV26	Prid.	E	8	XXV25	IV	A	16	23	Prid.
5	D	8	25.24	Non	F		24	III	B	5	22	Non
6	E	16	23	VIII	G	16	23	Prid.	C		21	VIII
7	F	5	22	VII	A	5	22	Non	D	13	20	VII
8	G		21	VI	B		21	VIII	E	2	19	VI
9	A	13	20	V	C	13	20	VII	F		18	V
10	B	2	19	IV	D	2	19	VI	G	10	17	IV
11	C		18	III	E		18	V	A		16	III
12	D	10	17	Prid.	F	10	17	IV	B	18	15	Prid.
13	E		16	Idus	G		16	III	C	7	14	Idus
14	F	18	15	XVIII	A	18	15	Prid.	D		13	XVIII
15	G	7	14	XVII	B	7	14	Idus	E	15	12	XVII
16	A		13	XVI	C		13	XVII	F	4	11	XVI
17	B	15	12	XV	D	15	12	XVI	G		10	XV
18	C	4	11	XIV	E	4	11	XV	A	12	9	XIV
19	D		10	XIII	F		10	XIV	B	1	8	XIII
20	E	12	9	XII	G	12	9	XIII	C		7	XII
21	F	1	8	XI	A	1	8	XII	D	9	6	XI
22	G		7	X	B		7	XI	E		5	X
23	A	9	6	IX	C	9	6	X	F	17	4	IX
24	B		5	VIII	D		5	IX	G	6	3	VIII
25	C	17	4	VII	E	17	4	VIII	A		2	VII
26	D	6	3	VI	F	6	3	VII	B	14	1	VI
27	E		2	V	G		2	VI	C	3	*	V
28	F	14	1	IV	A	14	1	V	D		29	IV
29	G	3	*	III	B	3	*	IV	E	11	28	III
30	A		29	Prid	C		29	III	F		27	Prid
31					D	11	28	Prid				

CAPUT VII.

DE CALENDARII EXPLICATIONE.

196. Fuit *Calendarium* ipſum, qvod ut eo rectius intelligatur, obſervanda eſt ejus *Explicatio* & *Vſus*.

197. *Explicationem* qvod concernit, reſpicit ea vel *Columnas* ipſas, vel *Columnarum contenta*.

198. *Columnæ* ſunt vel *Laterales* vel *Areales*.

199. *Columna Lateralis* ſive ſiniſtima cujusq́; Paginæ continet Dies Menſium, ordine naturali deſcendendo.

200. *Columnæ Areales* ſunt cujusq́; Menſis qvaternæ, qvarum *prima* qvæq́; continet ſeptem Litteras A, B, C, D, E, F, G, ordine repetitas, qvæ ſunt Feriæ primæ ſeu Diei Dominicæ indices, qvippe earum una qvotannis Diem Dominicam deſignat, qvæ ex Cyclo Solis ſupra propoſito petenda eſt. *Secunda* comprehendit Cyclum Lunarem ſeu Aureos Numeros, pro inveſtigando Paſchate Veteris Calendarii, *Tertia* exhibet Epactas, qvæ loco Cycli Lunaris in Calendario novo uſurpantur. *Qvarta* demum Columna continet Calendas, Nonas & Idus, ſecundum qvos Romani Dies Menſis indigitare & numerare ſolebant.

201. Contenta in Columnis Lateralibus, ut & in Arealibus primâ & qvartâ, nihil in ſe difficultatis habent; ſed Columnæ ſecundæ, in qvâ Numeri aurei, & tertiæ, in qvâ Epactæ diſpoſitæ exhibentur, diſpoſitionis ratio declaranda venit.

202. Numerorum aureorum Diſpoſitionem Veteres ita inſtituerunt, ut primus Cycli Annus, primusq́; Menſis ſeu Novilunium Paſchale â 23 Martii inciperet, ex qvo Lunationes alternatim 29 & 30 Dierum numerarentur, donec completo anno communi 354 Dierum, primus ſecundi Anni Menſis incideret in 12 Martii; ejusq́; 354. Dies ſimiliter in primo Martii finirentur. Sed cum Lunatio hæc 1 Martii incidens, tertium annum incipere nondum posſit, eo qvod octavum Martii antevertat, ante qvem Lunatio Paſchalis nulla incidere poteſt; (Ejus enim Plenilunium ſeu Luna 14 contingeret ante 21 Martii, hoc eſt ante Diem Æqvinoctii;) ideò Annus ſecundus ſit Embolimæus, & inſeritur Menſis 30 Dierum ut ita Novilunium primum Tertii Anni in 31 Martii neceſſariò inci-

dat. Atq́; ejusmodi Anni Embolimæi fiunt etiam qvintus, septimus, decimus, decimus tertius, decimus sextus & decimus octavus, qvi omnes complectuntur tredecim Lunationes 30 Dierum, excepto decimo octavo Cycli Anno, in qvo Lunatio, qvæ inseritur, tantum 29 Dierum est. Et qvoniam Veteres cognoverunt, Novilunia post novendecim annos ad eosdem annos redire; ideoq́; totidem Numeros, incipiendo ab unitate; ad 19 usq́;, Calendarii Diebus, qvibus per omnes novendecim Annos Novilunia contingebant, assignarunt, ita unitatem illis Diebus appossuerint, in qvibus currente Aureo numero 1 Novilunia & Binarium illis Diebus, qvibus currente Aureo Numero 2 similiter Novilunia acciderunt. Et sic consequenter, prout Calendarium supra propositum Aureos Numeros per totum Cyclum ostendit.

203. *Epactæ* in Columnâ tertiâ pro Calendario novo ita dispositæ sunt. Primo Diei Januarii apposita est Epacta 30 seu potius * (cum nulla Epacta propriê ad 30 dies sese extendat, nec ulla Lunatio in Cœlo, qvâ tamen Epacta semper minor esse debet, numerum tricenarium exæqvet) secundo 29, tertio 28, & ita porrò retrogrado ordine procedendo, usq́; ad 1. Et hæc Epactarum series per Annum ordine duodecies integrè ponitur, propter 12 Lunationes in Anno præter has undecim *, 29, 28, 27, 26, 25, 24, 23, 22, 21, 20: qvæ decimo tertio repetuntur in fine Decembris, ob 11 Dies, qvibus Annus Solaris 365 Dierum, Annum Lunarem 354 excedit: hâc tamen adhibitâ cautione, ut duæ hæ Epactæ 25 & 24 in collocationibus paribus, hoc est, in secundâ, qvartâ, sextâ, octavâ, decimâ, duodecimâ eidem Diei nempe 5 Febr. 5 April: 3 Jun; 1 Aug. 29 Sept: & 27 Nov. simul adscribantur: idq́; ideò, ut Lunationes alternatim fiant Cavæ & Plenæ, hoc est, 29 & 30 Dierum; qvæ aliàs, nisi cautio hæc adhiberetur, omnes fierent plenæ seu 30 Dierum, qvod fieri non debet. Deinde in posterioribus octo aureis Numeris 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, in iisdem collocationibus paribus, ubi Epactæ 25 & 24 concurrunt, Epactæ 26 adscribitur adhuc alia Epacta XXV, diverso aut Colore aut charactere notata, idq́; ideò, ne duo Aurei Numeri, aut duo Novilunia in eundem Diem simul incidant; in aliis vero locis eadem Epacta XXV, coloris aut characteris diversi, apponitur Epactæ 25. De qvibus hoc sciendum

dum eſt, qvod currente Numero aureo minore qvàm 11, Epacta 26 cum Epactâ XXV diverſo colore aut charactere notata uſurpetur: currente vero numero aureo majore qvam 11, Epacta 24 cum Epacta 25 adhibeatur. Niſi enim Epactæ ad hunc modum ordinatæ eſſent, non poſſent Lunationes alternatim eſſe 30 & 29 Dierum; ſed fierent qvædam, qvæ debent 30 Dierum eſſe, ſaltem 29 Dierum, & vice verſa. Atq; hac ratione Epactis per Calendarium diſpoſitis, Luna prima accidit illis Diebus, qvibus Epacta illius Anni adſcripta repetitur.

CAPUT VIII.

DE PASCHATE UTRIUSQ; CALENDARII.

204. *Explicationem Calendarii* excipit ejusdem *Vſus*, qvi, præter alios, eſt, ut ex eo PASCHA, & qvæ inde antrorſum & retrorſum numerantur, *Feſta mobilia* imprimis *Intervallum* tum *minus* tum *majus*, erui & cognoſci poſſint. Qvod enim Feſta Fixa concernit, de iis ſupra *Lib. 1. cap. 2.* ſatis jam egimus, & eorum tempus vel ex qvovis Calendario communi & vulgari haberi poteſt.

205. PASCHA eſt Feſtum mobile ſacrum & Solenne, qvod tùm â Judæis tùm â Chriſtianis obſervatur & celebratur. Eſt itaq; duplex, *Judaicum* & *Chriſtianum*.

206. *Paſcha Judaicum* â Deo ipſo fuit inſtitutum, & ex mandato ipſius *Exod. 12. Levit. 23.* immolatione *Agni* immaculati Populo Iſraelitico, Die decimo qvarto primi Menſis *Niſan*, ad Veſperam, cujus Menſis initium eſt à Novilunio, Æqvinoctio Verno proximo, celebrandum erat, in memoriam beneficiorum, qvæ Deus Iſraëlitis in Ægypto affatim exhibuerat.

207. *Paſcha Chriſtianorum* eſt inſtitutum ab Eccleſiâ Chriſtianâ in memoriam Chriſti, in Cruce pro nobis immolati, qvem *Agnus* Paſchalis Veteris Teſtamenti præfigurabat, & non in ipſâ decimâ qvartâ Lunâ cum Judæis, ſed in Dominicâ, qvæ illam proximè conſeqvitur, celebratur.

208. *Paſchalis Chriſtiani* notanda ſunt *Tempus*, qvo Paſcha celebrandum eſt, & *Modus inveſtigandi* Tempus illud.

209. *Tempus* qvod concernit, fuerunt de eo in primitivâ Eccleſia magnæ contentiones. Romani enim & Europæi prætendentes

traditionem *Petri & Pauli*, volebant Paſcha eſſe celebrandum die Dominica, qvæ proximè ſeqvitur Paſcha Judæorum. Græci contra & *A*ſiatici contendebant Paſcha celebrandum eſſe eodem cum *J*udæis Die, prætendentes Traditionem *Johannis Evangeliſtæ*, qvem in *A*ſiâ docuiſſe & mortuum eſſe conſtat. Duravitq; hoc diſſidium usq; ad Concilium Nicænum, in qvo tandem Controverſia hæc per *Conſtantinum Magnum* ita deciſa fuit, ut pronuntiaretur pro Occidentalibus & Romanis, & contra Orientales, & Græci cauſſa caderent, qvi Qvartadecimani dicti, & hæreſeos poſtulati ſunt. Canones autem Paſchales Concilii Nicæni hi fermè ſunt:

1. *Vigeſimus primus Dies Martii ſemper habeatur pro Die Æqvinoctii.*
2. *Plenilunium incidens in 21 Martii, vel proximè ſeqvens, haberi debet pro Plenilunio Niſan & Termino Paſchali.*
3. *Dies Dominica, qvæ proximè ſeqvitur illud Plenilunium, ſit ipſa Dies Paſchæ.*
4. *Si Plenilunium Niſan incidat in Dominicam, octiduo poſt Paſcha celebretur.*

210. Circa Tempus Paſchæ ergo, ut ex Canonibus illis apparet, hæc duo obſervanda & probe diſcernenda ſunt, nempe *Terminus Paſchalis*, qvi Paſcha oſtendit, & *Dies Paſchalis*, qvo Paſcha celebratur. Nam

Terminus & Feſtum nunqvam celebrantur eodem:

ſive nunqvam in unum eundemq; Diem coincidunt. Vel juxta ſeqvens Diſtichon:

Terminus & Feſtum nunqvam junguntur in unum;
Feſtum ſed Domini Luce ſeqvente cluit.

211. *Terminus Paſchalis* eſt Luna decima qvarta ſeu Plenilunium illud, qvod vel in ipſum 21 Martii incidit, vel eum proximè ſeqvitur. Nullum enim Plenilunium Paſchale ante Diem Æqvinoctii ſeu 21 Martii incidere poteſt, uti nec Novilunium Paſchale ullum ante Diem 8 Martii. Hinc ſi Die 20 Martii Plenilunium aliqvod contingat, illud pro Termino Paſchali non agnoſcitur, ſed aliud

expectan-

expectandum est, qvod nempe post Dies 29 seqvitur, & in Diem 18 *A*prilis cadit, cujusq; Novilunium contingit 5 *A*prilis. Terminus itaq; Paschalis citimus est 21 Martii: ultimus vero 18 *A*prilis.

212. *Dies Paschalis* est semper ea Dominica, qvæ Terminum Paschalem proximè seqvitur. Cum ergo Terminus citimus Paschalis sit 21 Martii: seqvitur propiorem Dominicam, qvæ illum conseqvatur, incidere non posse qvàm 22 Martii. Et cum Terminus Paschalis ultimus sit 18 *A*prilis, seqvitur, qvod & serius Pascha nunqvam celebrari possit, qvàm 25 *A*prilis. Nam si 18 *A*prilis fuerit Dies dominica, differendum erit Pascha per Octiduum, usq; in seqventem Dominicam, qvæ cadit in 25 *A*prilis, Paschalis itaq; Dies nunqvam citius incidere potest, qvam 22 Martii, nec unqvam serius, qvam 25 *A*prilis.

213. *Modus investigandi* Tempus Paschale, alius est in Veteri Calendario, alius est in Novo.

214. In Veteri Calendario Pascha investigatur ita:

1. Qvære per *Thes. 177. A*nni propositi Numerum aureum.
2. Numerum hunc aureum qvære in Calendarii Columnâ secundâ, post Nonas Martias, seu post 7 Martii, & cuicunq; Diei adscriptum eum invenies, ea ipsa Dies est Neomenia Paschalis.
3. Inventæ Diei Neomeniæ annumera dies tredecim, habebis Lunam decimam qvartam, sive Terminum Paschalem Christianorum.
4. *A* Termini Paschalis Litterâ, numera usq; ad Litteram dominicalem proximè seqventem, & Dies, qvæ Litterâ dominicali est insignitâ est ipsa Dies Paschæ qvæsita.

215. *Exempli gratiâ: A*nno 1673 Numerus aureus per *Thes. 178.* repertus est 2. Hunc numerum 2 in Columnâ secundâ Calendarii post 7 Martii, adhærere invenio 12 Martii. Huic 12 Martii annumero dies 31, & deducor ad 25 Martii, qvi est Luna decima qvarta Cyclica, seu Terminus Paschalis; cui è regione in columnâ primâ respondet littera G. Tandem cum littera Dominicalis *A*nno 1673 *per Caput 2 hujus libri*, reperiatur esse E ideo â G descendo usq; ad E, cui respondere video 30 Martii, qvi fuit Dies Paschalis hujus anni propositi in Calendario Veteri qvæsitus.

216. Idem Paſcha, pro Calendario Veteri, facilius etiam ex ſubjectâ Tabella deprehendes.

Tabella Numeri Aurei & Termini Paſchalis V. C.

Aureus Numer.	Terminus Paſchalis.	Aureus Numer.	Terminus Paſchalis.	Aureus Numer.	Terminus Paſchalis.
1	5 April. D	7	30 Martii. E	13	24 Martii. F
2	25 Mart. G	8	18 April. C	14	12 April. D
3	13 April. E	9	7 April. F	15	1 April. G
4	2 April. A	10	27 Mart. B	16	21 Mart. E
5	22 Mart. D	11	15 April. G	17	9 April. A
6	10 April. B	12	4 April. C	18	29 Mart. D
				19	17 April. B

Sit enim qværendum Paſcha pro eodem Anno 1673. Itaq́; cum Anni propoſiti Numerus aureus ſit 2, & Littera Dominicalis E. Ideo qværo ſaltem in Tabulâ Numerum aureum 2, cui reſpondere reperio 25 Martii, qvi adſcriptam habet Litteram G. Numero ergo â G usq́; ad E litteram dominicalem hoc modo:

G, A, B, C, D, E.
25, 26, 27, 28, 29, 30.

& reperio ut antea, Paſcha cadere in 30 Martii.

217. In Calendario novo eodem prorſus modo Paſcha inqviritur, qvo in Veteri Calendario, niſi qvod loco aurei Numeri adhibeatur Epacta Anni propoſiti. Ut ſit qværendum Paſcha pro eodem anno 1673. Ergo

1. Qværo per *Theſ. 183.* & *184.* Epactam anni dati, qvæ loco dicto reperiebatur pro Calendario Novo 12.
2. Cum Epactâ hâc 12 ingredior Calendarium, & qværo eam in columnâ tertiâ poſt 7 Martii, qvam invenio adſcriptam 19 Diei Martii.

3. Huic

3. Huic Diei 19 Martii annumero Dies 13, deducor ad 3 *A*prilis, qvi est Terminus paschalis anni dati, cui respondet in Columnâ primâ Littera G.

4. Littera dominicalis hujus *A*nni supra deprehensa fuit *Thes. 164 A*, â G ergo descendo usq; ad *A*, qvam adscriptam invenio 2 *A*prilis: qvi est Dies paschalis qvæsitus.

238. Idem Pascha pro Calendario Novo cognosci potest etiam ex sequente Tabulâ, & qvidem ita: Epactam anni dati 1673, qvæ est 32, qværo in Tabulâ, cui respondere deprehendo 3 *A*prilis, cum Littera G; Cumq; Littera dominicalis hujus anni sit *A*; ideo numero â G usq; ad *A*, & deprehendo Litteram *A* competere 2 *A*prilis, qvi Paschalis Dies est, ut antea, qvæsitus.

Tabella Epactæ & Termini Paschalis Novi Calendarii.

Epact.	Terminus Paschalis.	Epact.	Terminus Paschalis.	Epact.	Terminus Paschalis.
1	12 *A*pril. D	7	6 *A*pril. E	13	31 Mart. F
12	1 *A*pril. G	18	26 Mart. A	24	18 *A*pril. C
23	21 Mart. C	29	14 *A*pril. F	25	8 *A*pril. G
4	9 *A*pril. A	10	3 *A*pril. B	10	28 Mart. C
15	29 Mart. D	21	23 Mart. E	27	10 *A*pril. A
26	17 *A*pril. B	2	11 *A*pril. C	8	5 *A*pril. D
				19	25 Mart. G

CAPUT IX.

DE INTERVALLO MINORE ET MAJORE.

219. Cognitio Die Paschatos, reliqvæ Dies dominicæ tum antecedentes tum consequentes, uti & omnia reliqva Festa mobilia, imprimis *Intervallum minus* & *majus* cognosci de facili possunt & determinari.

220. *Inter-*

220. *Intervallum minus* nihil aliud est, qvam Numerus Septimanarum & Dierum, inter Nativitatem Christi & Dominicam Qvinqvagesimæ seu *Esto Mihi*: Germanicè die Zeit zwischen Weyhenachten und Fastnacht.

221. *Intervallum Majus* est Numerus Dominicarum post Trinitatis, ad minimum 22 Hebdomadarum sive Dominicarum. Hoc Intervallum Majus, crescente Intervallo minore, minuitur; & contra, decrescente Intervallo minore, Intervallum majus augetur; Utrumq; autem crescit vel decrescit; prout ipsum Pascha incidit vel citius vel serius.

Qvando enim Intervallum Minus est Septimanarum

6. 7. 8. 9. 10. $10\frac{2}{7}$ aut minus:

Tunc Intervallum Majus est Septimanarum

27. 26. 25. 24. 23. 22.

222. *Intervallum Minus*, â qvo reliqva Festa mobilia promptissimè deducuntur, vel per Calculum, vel ex Tabulis, hanc ad rem constructis, cognosci potest.

223. Per Calculum Intervallum minus pro utroq; Calendario hoc modo investigatur:

1. Collige Dies, qvæ â Die Nativitatis Christi ad Pascha usq; numerantur, in unam Summam.
2. *A* summâ collectâ subtrahe dies 50, & residuum divide per 7.
3. Qvotus emergens indicat Septimanas, & Relictum Dies Intervalli minoris, hoc est, Dominicam Qvinqvasimæ seu Esto mihi, qvi semper 9 Septimanis â Paschate distat.

Exemplum.

224. Anno 1673 Pascha Veteris Calendarii incidit in 30. Martii: Novi Calendarii vero in 2. Aprilis. Operor ergo pro utriusq; Calendarii Intervallo minore ita;

Pro

Pro V. C.	Pro N. C.
7 Dies à Nat. ad finem.	7 Dies à Nat. ad finem Anni
31 Dies Januarii	31 Dies Januarii.
28 Dies Februarii	28 Februarii
30 Dies Martii	31 Martii
	2 Aprilis
96 Summa Dierum	99 Summa Dierum
50 Subtr.	50 Subtr.
46 Residuum	49 Residuum

4
46 | 6. Ergo Intervallum minus pro Cal. Vet. est 6 Sept. 4 Dier.
7 |

49 | 7. Ergo Intervallum minus pro Novo Cal. est 7 Sept. 0 Diei.
7 |

225. Ex Tabulis idem Intervallum facilius & promptius cognosci potest, & qvidem pro Veteri Calendario ita; Ingredere cum Aureo Numero & Litterâ dominicali Anni propositi, Tabulam, & qvære Aureum Numerum in Latere alterutro, Litteram vero Dominicalem in Fronte, & Angulus communis in Areâ monstrabit Numerum septimanarum Intervalli minoris: Numerus vero supra Litteram dominicalem positus, Dies concurrentes, qvi septimanis in Areâ inventis sunt annumerandi.

Tabula Intervalli Minoris pro V. C.

Aureꝰ Num.	0	1	2	3	4	5	6	Aureꝰ Num.
	A	B	C	D	E	F	G	
1	8	8	8	8	7	7	7	1
2	6	6	6	6	6	6	6	2
3	9	9	9	9	9	8	8	3
4	8	7	7	7	7	7	7	4
5	6	6	6	6	5	5	5	5
6	9	9	8	8	8	8	8	6
7	7	7	7	7	7	6	6	7
8	10	10	10	9	9	9	9	8
9	8	8	8	8	8	8	7	9
10	7	7	6	6	6	6	6	10
11	9	9	9	9	9	9	9	11
12	8	8	8	7	7	7	7	12
13	6	6	6	6	6	6	5	13
14	9	9	9	9	8	8	8	14
15	7	7	7	7	7	7	7	15
16	6	6	6	5	5	5	5	16
17	9	8	8	8	8	8	8	17
18	7	7	7	7	7	6	6	18
19	10	10	9	9	9	9	9	19

Exemplum.

226. Anni 1673 Aureus Numerus Veteris Calendarii eſt 2, & Littera dominicalis E. Qværo ergo 2 in Latere, & Litteram E in Fronte, Angulusq́; communis exhibet 6 ſeptimanas & ſupra ſuper Littera E 4 Dies.

227. Pro Novo Calendario Intervallum minus ex ſeqvente Tabula cognoſcitur hâc ratione. Cum Litterâ dominicali & Epactis Anni dati ingredere Tabulam, & Litteram dominicalem qvære in Columnâ ſiniſtrâ, Epactam in mediâ, & columna Dextra monſtrabit e regione Intervallum minus qvæſitum.

Ta-

Tabula Intervalli Minoris pro N. C.

Litera Domin.	Cyclus Epactarum.	Interv. Min. Sept.	Interv. Min. Dies
A.	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. XXV. 25. 24.	6 7 8 9 10	0 0 0 0 0
B.	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. XXV. 25. 24.	6 7 8 9 10	1 1 1 1 1
C.	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. XXV. 25. 24.	6 7 8 9 10	2 2 2 2 2
D.	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. XXV. 25. 24.	5 6 7 8 9	3 3 3 3 3
E.	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. XXV. 25. 24.	5 6 7 8 9	4 4 4 4 4
F.	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. XXV. 25. 24.	5 6 7 8 9	5 5 5 5 5
G.	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. XXV. 25. 24.	5 6 7 8 9	6 6 6 6 6

228. Anni 1673 Epacta Novi Calendarii *per Theſ. 184.* eſt 12. & Littera dominicalis *per Theſ. 164.* eſt A. Qværo ergo Litteram A in Columnâ Tabulæ ſiniſtrâ, & Epactam 12 in mediâ, & invenio ei in Columnâ dextrâ e regione reſpondere Intervallum minus, 7 Septimanarum, & 0 Diei. Hoc tamen probè notandum eſt, qvod in Annis Biſextilibus, in qvibus duæ Litteræ Dominicales occurrunt, prior ſemper aſſumenda, & in Tabulâ qværenda ſit.

CAPUT X.

DE FESTIS MOBILIBUS RELIQVIS.

229. Sicut ex cognitione Paſchatis Intervallum minus promptè determinatur; ita nunc ex hoc qvoq; reliqva *Feſta mobilia* facili negotio deducuntur, tum ea, *qvæ Paſcha præcedunt*, qvàm *qvæ* idem *ſeqvuntur*.

230. *Feſta mobilia*, qvæ *Paſcha præcedunt*, ſunt hæc:

1. Dominica, ſi qvæ eſt, inter Circumciſionis & Epiphaniæ Feſtum, hoc eſt, inter 1 & 6 Januarii, vocatur *Dominica poſt Circumciſionis*: qvæ vero nulla eſt, ſi Circumciſionis Feſtum in Diem Dominicam, vel Feriam Hebdomadis ſecundam incidat.
2. Dominicæ, qvæ poſt Epiphaniæ Feſtum ſeqvuntur, ordinis nomine inſigniuntur ita: *Prima, Secunda, Tertia, &c. poſt Epiphanias.* Harum enim interdum plures, interdum pauciores conſtituuntur, pro Intervalli minoris majore vel minore Qvantitate: & deſinunt ſemper ante Dominicam Septuageſimæ.
3. Dominicæ novem qvæ ſeqvuntur, ita dicuntur:
   1. *Septuageſima*, qvæ ſemper Dominicam Eſto Mihi duabus ſeptimanis, ſeu 14 Diebus præcedit.
   2. *Sexageſima*, qvæ Eſto Mihi unâ Hebdomade ſeu 7 Diebus præcedit.
   3. *Eſto Mihi*, ſeu *Qvinqvageſima*, qvæ Intervallum minus terminat & finit. Et hanc proximo die Mercurii ſeqvi-

seqvitur *Dies Cinerum*, consecrationi & adspergini Cinerum dicatus â Gregorio M. & præbens initium Jejunii qvadragesimalis.

4. *Qvadragesima* seu *Invocavit*.
5. *Reminiscere*.
6. *Oculi*.
7. *Lætare*.
8. *Judica*.
9. *Palmarum*. Hanc seqvens Dies Mercurii Dies est Concilii Pharisæorum, die krumme Mittwoche/ â perversis Judæorum Consiliis. Dies Jovis, dicitur *Dies Viridium*, der grüne Donnerstag/ qvâ Christus exivit in montem Olivarum. Dies Veneris vocatur Dies Parasceves, der stille oder gutte Freytag/ â placatâ DEI irâ, & bonis, qvæ hoc die nobis parta sunt: item der Karr-Freytag/ â voce antiqvâ Karr/ qvod pœnam, seu satisfactionem pro pœnâ, denotat. Dies seqvens Dominica est ipsum Pascha. Dominicæ hæ, qvæ Diem Cinerum seqvuntur, memoriæ caussâ hisce Dictionibus notantur. *Mors*, *Imperat*, *Regibus*, *Odiosam*, *Lingvam*, *Judicat*, *Dominus*. Germani easdem his Dictionibus designant: Mitten/ Ins/ Richters/ Ofen/ Liegen/ Junge/ Palmen.

231. Festa mobilia, qvæ Pascha seqvuntur, sunt

1. Dominicæ Pascha seqventes sex: *Qvasimodogeniti*, *Misericordias Domini*, *Jubilate*, *Cantate*, *Rogationum*, seu *Vocem Jucunditatis*, & *Exaudi*. Qvæ Nomen suum habent ab Introitibus in Ecclesiâ per hoc tempus cani solitis, & memoriæ caussâ hoc versu notantur:

Qvem, *Mea*, *Jusserunt*, *Cantica*, *Victor*, *erit*.

vel

Qvantâ, *Mortales*, *Implet*, *Cruce*, *Regius*, *Error*.

2. *Festum Ascensionis Christi*, qvod semper in Diem Jovis post Dominicam Rogationum seu Vocem Jucunditatis incidit.

3. *Festum Pentecostes*, qvod nobis Christianis semper septimâ â Paschate Dominicâ, in memoriam Spiritus Sancti super Apostolos visibiliter effusi celebrari solet.

4. *Festum Trinitatis*, qvod octavam â Paschatos Festo Dominicam sibi vendicat: qvam seqvitur Die Jovis proximo, *Festum corporis Christi*, qvod Urbanus Qvartus Pontifex Romanus circa Annum Christi 1264 instituit.

5. *Dominicæ, qvæ Festum Trinitatis seqvuntur*, omnes eo ordine, qvo seqvuntur, numerantur & appellantur, usq; ad Dominicam primam *Adventus*: & harum aliàs pauciores, aliàs plures existunt, prout minor vel major est Intervalli Majoris Qvantitas: qvorum Numerus tamen vel hâc ratione etiam cognosci potest; si nimirum Numerus Septimanarum Intervalli minoris completus, subtrahatur â 33, residuum monstrabit, qvot Dominicæ post Festum Trinitatis ad primam *Adventus* numerandæ sint. Ut: Anno 1673 Intervallum minus est 7 Septimanarum & 0 Diei: Subtraho ergo 7 completas septimanas â 33, & relinqvuntur 26 Dominicæ post Festum Trinitatis ponendæ.

6. *Dominicæ* tandem ultimam Trinitatis seqventes qvatuor, dicuntur 1, 2, 3, 4 *Adventûs*, qvarum prima semper Diem Barbaræ proximè præcedit.

232. Festis hisce ritè omnibus dispositis, non negligenda sunt *Qvatuor Anni tempora*, qvæ vulgò *Qvatember* Germanicè Fronfast dicuntur, qvibus Conventus Tribuum & Judicia municipalia haberi solent: qvorum

Primum incidit in Diem Mercurii, qvi ſeqvitur Dominicam Qvadrageſimæ.

Secundum incidit in Diem Mercurii, ſeqventem Feſtum Pentecoſtes.

Tertium incidit in Diem Mercurii, qvi ſeqvitur Feſtum Crucis.

Qvartum incidit in Diem Mercurii, qvi Diem Luciæ ſacrum ſeqvitur.

233. Feſta præcedentia mobilia præcipua in Anno communi & Biſſextili, ex ſeqvente Tabula promptius cognoſcuntur hoc modo: Intervallum minus qvære in Columnâ ſiniſtimâ, deſcendendo, & repertum mox verſus dextram ordine Feſta qvæſita pandet.

FINIS.

Tabula ex Intervallo minore ostendens
Festa mobilia.

In Anno communi Intervall. minus. Hebd.	Dies.	Quadragesima.	In Anno Bisextili Intervall. minus. Hebd.	Dies.	Quadragesima.	Dominica Paschatos.	Rogationum.	Ascensio Domini.	Pentecoste.	Adventus Domini.	Intervallum majus.
5.	3	8. Febru.	5.	4	9. Febru.	22. Mart.	26. Aprilis.	30. Apr.	10. Maji.	29 d. Nov.	27
5.	4	9.	5.	5	10.	23.	27.	1. Phil. ♃.	11.	30 e.	27
5.	5	10.	5.	6	11.	24.	28.	2. Ma	12.	1 f.	27
5.	6	11.	6.	0	12.	25. Ann M	29.	3. Inv. ☩	13 Serv.	2 g.	27
6.	0	12.	6.	1	13.	26.	30.	4. Flor.	14.	3 a. Decembr.	27
6.	1	13.	6.	2	14. Valen.	27.	1. Ph. ♃. Majus	5. Jus.	15. Soph.	27 b. Novemb.	26
6.	2	14. Valent.	6.	3	15.	28.	2.	6.	16.	28 c.	26
6.	3	15.	6.	4	16. Julia.	29.	3. Inv. ☩	7.	17.	29 d.	26
6.	4	16. Julian.	6.	5	17.	30.	4. Flor.	8.	18.	30 e.	26
6.	5	17.	6.	6	18. Conc.	31.	5.	9.	19.	1 f. De	26
6.	6	18. Conc.	7.	0	19.	1.	6.	10.	20.	2 g. cemb.	26
7.	0	19.	7.	1	20.	2. Aprilis.	7.	11.	21.	3 a. Novemb.	26
7.	1	20.	7.	2	21.	3.	8.	12.	22.	27 b.	25
7.	2	21.	7.	3	22 Cath. P.	4.	9.	13. Serv.	23.	28 c.	25
7.	3	22 Cath. P.	7.	4	23.	5.	10.	14.	24.	29 d. Decemb.	25
7.	4	23.	7.	5	24.	6.	11.	15. Soph.	25. Vrb.	30. e.	25
7.	5	24. Math.	7.	6	25. Math.	7.	12.	16.	26.	1. f.	25
7.	6	25.	8.	0	26.	8.	13. Serv.	17.	27.	2. g.	25
8.	0	26.	8.	1	27.	9.	14.	18.	28.	3. a. No	25
8.	1	27.	8.	2	28.	10.	15. Soph.	19.	29.	27 b. vemb.	24
8.	2	28. Mart.	8.	3	29. Mart.	11.	16.	20.	30.	28. c.	24
8.	3	1.	8.	4	1.	12.	17.	21.	31.	29. d.	24
8.	4	2.	8.	5	2.	13.	18.	22.	1. Junii.	30. e.	24
8.	5	3.	8.	6	3.	14. Tib.	19.	23.	2.	1. f. De	24
8.	6	4. Adri.	9.	0	4. Adri.	15.	20.	24.	3.	2. g.	24
9.	0	5.	9.	1	5.	16.	21.	25. Vrb.	4.	3. a. cemb.	24
9.	1	6.	9.	2	6.	17.	22.	26.	5. Bonif	27. b. Novemb.	23
9.	2	7. Perp.	9.	3	7. Perp.	18. Val.	23.	27.	6.	28. c.	23
9.	3	8.	9.	4	8.	19.	24.	28.	7.	29. d.	23
9.	4	9.	9.	5	9.	20.	25. Vrb.	29.	8. Med.	30. e.	23
9.	5	10.	9.	6	10.	21.	26.	30.	9.	1. f. Decemb.	23
9.	6	11.	10.	0	11.	22.	27.	31.	10.	2. g.	23
10.	0	12. Greg.	10.	1	12. Greg.	23. Georg	28.	1. Junii.	11.	3. a.	23
10.	1	13.	10.	2	13.	24.	29.	2.	12.	27. b. Nov.	22
10.	2	14.	10.	3	14.	25. Marc.	30.	3.	13.	28. c.	22

Corrigenda in Computo.

	H		H. inæqv.		H
A. pag 6. lin. 15	lege 1 60	10′	—— 4	pag. 8. lin. 28. lege	12 51′.

B. pag. 2. l. 24. lege *noſtra*. pag. 4. l. 14. intempeſta. pag. 5. l. 15 *VVeigelio*. l. 30 Principalia. C. pag. 1. l. 17 ſubditis. l. 29 fuit) pag. 3. l. 14. qvantitas. pag. 5. l. 30 *σκιερφοριῶν*. pag. 6. l. 27 ſalientes. l. 35 בַּסְלִיו pag. 7. l. 8 ſoleant. pag. 8. l. 8 calebatur. l. 17 *μεσομήνιον*. *Plag.* H. *fac.* 5. *lin.* 32 *pro* Paſchalis *leg.* Paſchatis. *Plag.* I. *fac.* 1. *lin.* 31. *pro* dies 31 *leg.* dies 13. *fac.* 3 *in column.* Epact. *lin.* 19 *pro* 25 *leg.* 5. *lin.* 20 *pro* 10 *lege* 16. *lin.* 21 *pro* 10 Apr. *lege* 16 April. *lin.* 27 *pro* Cognitio *lege* Cognito.

KÖNIGL. KREISBIBLIOTHEK
IV
AUGSBURG

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Schultze, Christoph,

Christophori Schultz computus theorico-practicus, facili ac succincta methodo in compendium redactus ... tabulis necessariis instructus

Vratislaviae [1694]

Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- 4 Gs 2291#(Beibd.
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11212364-7